

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07078679 7





ZOV
Luther






D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA LATINA

CURAVERUNT

DR. JOAN. CONRAD. IRMISCHER,
ECCLESIAE NEOPOLITANAE ERLANGENSIS PASTOR ALTER,
ET
DR. HENRICUS SCHMIDT,
SCHOLAE LATINAE ERLANGENSIS PRAECEPTOR.



VOLUM. XXI.

CONTINENS: ANNOTATIONES IN ECCLESIASTEN SALOMONIS, EXPLICATIONEM LOCI ECCLES. VII: NON EST JUSTUS ETC. ET ENARRATIONEM IN CANTICA CANTICORUM.

12

ERLANGAE ET FRANCOFURTI AD M.
SUMTIBUS C. HEYDERI ET H. ZIMMERI.
MDCCCLVIII.

Praefatio.

Inter academicos Lutheri labores anni 1532 referenda etiam est **Explicatio Ecclesiastae Salomonis**, quae anno sequenti germanice versa est a Dr. Justo Jona et dedicata Philippo, Hassiae Landgrafio. Non dissimulat obscuritatem et difficultatem libri ob stilum regium et sublimiorem, qui in ceteris non reperiatur scriptoribus, et hebraicae linguae imperfectam, quam habemus, scientiam. Interim operam dedit, ut commodum sensum ex omnibus eliceret. Multis etiam ex humaniori litteratura illustramentis utitur, nec paucas adducit historiolas tam veteres quam novas. Friderici Electoris saepe meminit et aliqua ejus dicta et facta memorabilia annotat, v. g. quod multa aedificaverit, unoque perfecto statim aliud quaesiverit; quod dixerit: quo diutius rego, eo minus regere scio; item: ubi inveniam tandem, cui possim confidere? Dolet, quod nimis cito obliti sint homines optimi illius principis, non cogitantes, quae bona per illum assecuti et a quibus malis liberati sint; sapientem ejus cunctationem et patientiam laudat, quod tumultuantes Erfurtenses silentio (silendo) compescuerit et ultus sit; quod rem familiarem ita administraverit, ut vi-

deretur esse sordidus, numerabat enim singulis in manum, coquis, cellariis etc., sed hospitibus, quibus erat dandum, largissime offerebat omnia, quod non potuisset, nisi illud parsimonia curasset, atque ita effecit, ut haberet ordinatissimam domum et familiam. De se narrat: Cum essem ego novus praedicator, serio agebam, ut omnes redderem bonos, sed dicebatur mihi, et vere: Er hat einen zu gelben Schnabel dazu, daß er alte Schälke sollte fromm machen, i. e. junior est, quam ut senes corrigat. *De* Staupitio eadem fere affert: Cum vellet (ait) ac cuperet omnibus officiis optimos praeficere, non tamen potuit, dicebat ergo: Man muß mit den Pferden pflügen, die man hat, qui non habet equos, arat bobus, ut est proverbium. *De* fato doctrinae suae iterum, quae alibi, indicat: Praesentibus, inquit, mundus non potest stare, futuris semper discruciatur. Sic Germania semper nova quaerit. Ad initium evangelii omnes accurrebant, ubi vero pervasit evangelium, fastidivimus, obliti tantorum beneficiorum. Nunc concurritur ad sacramentarios, ubi vero illi inveteraverint, statim, illis fastiditis, alia cupient. De Germania in universum parum benignum fert judicium: Hodie principes, qui habentur sapientissimi, omnia in suum commodum regunt et agunt, ac sua quaerunt, reliqui nihil noverunt, quam equitare caballo, scortari, compotare, omnia committentes consiliariis, sua quaerentibus, nihil consulentibus, estque tota Germania quasi vasta, in qua nihil est civilium morum, nulla cura educandae juventutis, collapsae leges, disciplina et bonae artes, nulla fori ratio. (v. Seckendorf, lib. III. pag. 37.)

Editiones principes, correctae, versiones.

a) latinae.

1) Ecclesiastes Solomonis, cum Annotationibus Doc. Mart. Luth. Vuittembergae. 1. 5. 32. In fine: Vitebergae (sic) excudebat Ioannes Lufft. 1. 5. 32. $16^1/_2$ Plagg. 8. Pag. ultima vacua. Inscriptio figuris ornata (v. d. Hardt I. 289. III. 218.)

2) Alia editio: Ecclesiastes Solomonis, cum Annotationibus D. Martini Lutheri. Wittembergae. Anno. M.D.XXXII. In fine: Witebergae excudebat Ioannes Luft. M.D.XXXII. $16^1/_2$ Plagg. 8. Pag. ultima vacua. Inscriptio figg. ornata.

3) Eccle | siastes Salo | monis, cum Annota- | tionibus Doct. M. | Luth., correctus | et emendatus | cum indice etc. | Halae Suevorum ex offic. P. Brub. An. 1536. 8. men. Aug. (v. d. H. I, 332. — Panz. VII. 117. 3.) 136 Foll. In Bibl. reg. Stutgard.

b) Versiones germanicae.

4) Ecclesiastes, odder prediger Salomo, ausgelegt durch D. M. Luth. aus dem latin, verdeudschet durch Justum Jonam. An LANDGRAVEN zu HESSEN. I. Jonae Epistel, darinne auch die summa dis Buchs. Wittemberg. 1533. Am Ende: Gedruckt zu Wittemberg durch Georgen Rhaw. Anno 1533. 1 Maij. 28 Bogen. Der Titel mit einer Einfassung. 8. (v. d. H. II. 180. — Olear. 35.)

5) Ecclesiastes, odder Prediger Salomo, ausgelegt durch D. Mart. Luth. aus dem latin, verdeudschet durch Justum Jonam. An Landgrauen zu Hessen. 1. Jone Epistel, darinne auch die Summe

dis Buchs. Wittemberg. 1538. Am Ende: Gedrückt zu Wittemberg durch Peter Seitz. M.D.XXXVIII. $27^7/_8$ Bogen. Der Titel mit einer Einfassung. 8. (v. d. H. I. 361.)

In collectionibus:

a) latinis.

Vuit. IV. 1. — Jen. III. 238. —

b) germanicis.

Vuit. XII. 81. — Altenb. V. 1181. — Lips. VI. 570. — Walch. V. 2000. —

Nos editionem Halensem secuti sumus, ratione habita edit. Vuiteb. 1. atque editionis Jenensis.

Ecclesiastes Salomonis

CUM ANNOTATIONIBUS

DR. Mart. Lutheri.

1532.

PRAEFATIO DOCTORIS MARTINI LUTHERI IN ECCLESIASTEN SALOMONIS,

enarratum in Schola Vuittenbergensi.

Hunc librum, quia obscure translatus fuit ex Hebraeo, nullum genus eruditorum hominum non arripuit, explicandum, et omnes ejus aliquot dicta suae professioni vel opinioni potius applicare studuerunt a), sive ea fuit eorum curiositas, quae obscuris et velut novis ac inusitatis delectatur, sive quod in obscuris scriptis facile est, quodlibet fingere et opinari. Nam Philosophi b) putabant ad se pertinere, quod statim a principio dicit: Cunctae res difficiles c), non potest ea sermone explicare homo, quasi Salomon de inani illa speculandi philosophia loquatur. Quidam enim offensi, ubi Salomon dicit: Sicut moritur pecus, sic moritur homo. Et idem, utrisque finis et spiritus etc. Suspicati sunt Epicurum illum fuisse, aut certe in persona Epicureorum loqui.

Sed nulli perniciosius illo sunt usi, quam Scholae Theologorum d), qui hunc locum: Nescit homo e), an odio vel amore dignus sit, ad conscientiam erga Deum torserunt, et ita torserunt, ut omni

a) Multi interpretes hujus libri. b) Philosophi abusi sunt libro Ecclesiastae. c) Cunctae res difficiles. d) Scholae Theologorum abusi sunt libro Ecclesiastae. e) Nescit homo etc. infra nono capite.

um conscientias hac tortura plane excarnificarint, et fidem certissimam in Christum, cum universa Christi cognitione prorsus extinxerint, nihil religiosius docentes et inculcantes miserrimis cordibus, quam, oportere dubitare, et incertum esse de gratia et amore Dei erga nos, quantumlibet viveremus inculpati. Tanta fuit crassitudo tenebrarum plusquam Aegyptiarum, ut prae hoc dicto Salomonis, imo prae suis ipsorum erroribus in hoc dictum intrusis, non jam viderent amplius Apostolorum et Evangelistarum scripta, tantis signis, scripturis, argumentis testantia, Christum esse nostrum mediatorem et autorem certissimae gratiae et salutis a Deo nobis gratis exhibitae et donatae.

Nec minus etiam nocuerunt, hoc libro false intellecto [1]), plurimi sanctorum Patrum f) et illustrium in Ecclesia Doctorum, qui senserunt, Salomonem hoc libro docere contemptum mundi g) (ut vocant), id est, rerum creatarum et ordinatarum a Deo. Inter quos est S. Hieronymus, qui hoc libro suam Blesillam h) ad monasticen invitavit, edito commentario. Hinc manavit et per totam Ecclesiam grassata est, ceu diluvium quoddam, Theologia illa religiosorum seu monasteriorum, ubi docebatur, hoc esse Christianum, deserere oeconomiam, politiam, imo ministeria Episcopalia, seu verius Apostolica, fugere in deserta, separare se a societate hominum, vivere in quiete et silentio, in mundo non posse serviri Deo, quasi Salomon vanitatem appellet, con-

f) Sancti Patres abusi sunt libro Ecclesiastae. g) Contemptus mundi. h) Blesilla.

1) falso intellecte.

jugia, imperia, officia et verbi ministeria, quae omnia mirifice hic laudat et dona Dei appellat i). Et cum Salomon ipsos homines seu consilia eorum vanitates esse doceat, ipsi invertentes omnia res ipsas vanas appellant, et se suaque consilia solida et recta esse opinantur, pulchre contraria Salomoni somniantes. Breviter, nihil nisi monstra nobis ex isto pulcherrimo et utilissimo libro produxerunt, et plane ex auro divino abominanda idola conflaverunt.

Quare ad has tenebras illustrandas et tam foeda idola conterenda, eo facilius passus sum k), has meas annotationes aliorum manu exceptas et hac phrasi formatas (quando per negotia ipse non potui justo commentario eum librum explanare) publicari, quae quamvis sint tenues et modicae, tamen iis, qui meliora non habent, vel mecum olim seducti fuerunt falsis glossis, possunt occasionem, ut sapientibus, dare, quo ipsi meliores fiant, et meliora inveniant. Mihi sane plurimum voluptatis attulit, vel modicus gustus hujus libelli postquam tota vita in illo fatigatus, frustra me ipsum crucifixissem, et opinionibus impiis contra fidem Christi corrupissem, de quo laetissimas ago gratias, Patri misericordiarum, qui tot revelationibus, tanta luce, hoc novissimum saeculum dignatus est renovare.

Igitur hunc librum Ecclesiasten rectius nos vocaremus l) Politica vel Oeconomica Salomonis, non sane, quod leges ferat aut condat regendae vel ci-

---

i) Quid per vanitatem intellexerit Salomon. k) Quid moverit Lutherum ad haec commentaria edenda. l) Ecclesiastes rectius vocaretur Politica vel Oeconomica Salomonis. 1536: Ecclesiastes Politica Salomonis. Ecclesiastae utilitas.

vitatis vel familiae (hoc enim abunde praestat jus naturae, seu ratio humana, cui subiectae sunt res terrenae, Gene. 1, quae et fons et judex et finis semper fuit, est et manere debet omnium legum, tam politicarum quam doméslicarum), sed, qui viro in politia vel domo versanti consulat in casibus tristibus, et animum erudiat ac roboret ad patientiam in ferendis malis, quae sunt ibi infinita, ut omnium historiarum sacrarum libri, quin et omnium Poetarum fabulae testantur, quales sunt Herculis labores[m]), Ulyssis et aliorum monstra edomita, qualis Davidis ursus, leo et Goliath etc. Hanc artem qui ignorat, tandem fessus cedit et ruit, et fit ejus ruina magna, sicut Timon, Demosthenes, Cicero et alii plures ceciderunt. Hac impatientia et haeretici in Ecclesia sectas excitarunt, quod ministeria sua ferre non possent propter malitiam hominum, sic (ut dicitur) desperatio fecit Monachos, quia verum est, quod dixit ille sapiens: Magistratus virum ostendit[n]). Sed nisi quis[2]) Salomon exhortetur et consoletur. Magistratus virum obruit et extinguit, ac omnino perdit.

Commendo igitur piis fratribus hunc meum Salomonem, indicatum verius quam enarratum, et opto, ut abundantiori spiritu et feliciori vena aliquis prodeat, qui librum hunc pro dignitate explicet et exornet, ad laudem Dei et creaturarum suarum, cui sit gloria in aeternum, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

---

m) Herculis labores. n) Magistratus virum ostendit.
2) aliquis (1532).

ECCLESIASTES SALOMONIS, CUM ANNOTATIONIBUS D. MARTINI LUTHERI.

Et hic Liber unus est ex difficilioribus illis totius scripturae libris, quem nemo hactenus ad plenum consecutus est, imo multorum indignis commentariis adeo depravatus est, ut majoris negotii fere sit, autorem ab invectis illorum somniis purgare ac vindicare, quam verum ejus sensum ostendere. Fuit autem duplex causa, quapropter hic liber obscurior aliis fuerit o). Una, quia non viderunt consilium et scopum autoris, quem ut in omni genere scripti, ita hic vel maximi referebat ubique tenere et sequi. Altera, propter Hebraeae linguae ignorantiam, et ipsius autoris singularem quandam phrasin, quae a communis linguae usu saepe recedit, et a nostra consuetudine valde aliena est p). Ita ergo factum est, ut is liber, multis nominibus dignus, qui omnium manibus tereretur, ac quibusvis, tum vel maxime reipublicae procuratoribus notissimus esset (quippe in quo humanarum rerum et privatarum et publicarum administratio, graphice, et ut alias nusquam descripta est) hactenus suo nomine et dignitate privatus sit, et misere neglectus jacuerit, ut neque usum neque fructum ejus hodie habeamus. Tantum scilicet potuit aliorum sive temeritas sive inscitia. Quare primus nobis labor erit, ut teneamus certum libri scopum, quid quaerat et quo spectet. Nam hoc ignorato impossibile erit stylum et phrasim intelligere.

---

o) Duplex causa obscuritatis in hoc libro. 1536: Ecclesiastes liber difficilis. p) 1536: Utilitas libri Ecclesiastae.

Est ergo summa et scopus hujus libri q), quod Salomon vult nos reddere pacatos et quietis animis, in communibus negotiis et casibus hujus vitae, ut vivamus contenti praesentibus, sine cura et cupiditate futurorum (sicut Paulus ait: Sine cura et sollicitudine agentes). Futurorum enim curam frustra affligere.

Colligit autem Salomon inductione quadam perpetua, singularium hominum studia et conatus vanos et irritos esse, ut ex singularibus universalem conclusionem efficiat, et ostendat omnium hominum studia vana esse r). Negat enim sapientis esse panem neque velocis cursum, neque potentis victoriam, imo, quo quis sapientior, sanctior, operosior esse velit, eo minus efficiat, et fiat irrita tam sapientia, quam justitia quam opus suum. Si igitur neque haec neque alia aliquid sunt, ergo necesse est omnia vana et irrita esse.

Sed hic principio eradicandus est plurimorum error et nocens opinio, ne putemus, autorem loqui de contemptu creaturarum s), quas scriptura minime vult contemni et damnari. Cuncta enim quae fecit Deus sunt bona valde, et in usum hominum facta, quod clarissimis verbis Paulus 1. Timoth. 4. t) dicit. Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. Stultum ergo et impium est, quod plerique concio-

q) Scopus hujus libri. 1536: Ecclesiastae status. r) Vana hominum studia et conatus. s) Salomon non loquitur de contemptu mundi etc. 1536: Creaturae bonae. t) 1. Tim. 4.

natores invehuntur in gloriam, potentiam, dignitatem, divitias, aurum, famam, formam, mulieres, palam creaturam Dei damnantes. Magistratus seu potestas divina ordinatio est. Aurum est bonum, et divitiae a Deo dantur. Mulier res bona est, et viro in adjutorium facta. Omnia enim fecit Deus, ut essent bona, et in aliquem usum hominibus commoda.

Non itaque damnantur hoc libro creaturae, sed pravus affectus et cupiditas hominum, qui non sumus contenti praesentibus istis creaturis Dei et earum usu, sed semper anxii et solliciti accumulare divitias, honores, gloriam, famam, quasi perpetuo hic victuri, fastiditis interim illis, quae adsunt, et alia ex aliis semper affectantes. Haec est enim summa vanitas u) et miseria, fraudare se usu bonorum praesentium, et frustra affligi de futuris. Hos, inquam, pravos affectus et conatus humanos damnat hoc libro Salomon, non ipsas creaturas; nam de usu creaturarum et ipse infra dicit, nihil melius esse nisi laetari, et oblectare vitam suam, et comedere et bibere et exhilarari [3]) labore suo omni homini etc., ubi omnino ipse sibi contradiceret, si res ipsas damnaret, ac non potius abusum rerum, qui in solis affectibus est.

Haec stulti quidam non intelligentes absurde docuerunt, de contemptu et fuga mundi v), et ipsi etiam multa absurda fecerunt, ut in vitis Patrum w) legimus, fuisse aliquos, qui ne [4]) solem quidem

---

u) Summa vanitas. 1536: Ecclesiastes non creaturas, sed pravos hominum affectus damnat. v) Fuga mundi. w) Vitae Patrum.

3) exhilerari. 4) non.

voluerunt aspicere (digni scilicet, quibus oculi eruerentur) ac religionis causa sordidissime victitarunt, quod quale sit ex ante dictis satis liquet. Neque enim contemnit feliciter mundum, qui vivit solitarius et extra homines; non is aurum, qui abjicit aut qui abstinet a pecuniis, ut Franciscani, sed qui in mediis rebus versatur, neque tamen earum affectibus rapitur. Hoc ergo primum est, quod Salomonem lecturis est considerandum.

Deinde et hoc diligenter observandum, Salomonem hoc libro simpliciter loqui de genere humano x), pleneque [5]) persistere intra [6]) limites humanae naturae, hoc est, de conatu, de studio et cupiditatibus hominis deque consiliis humanis, ne scilicet idem imaginemur cum interpretibus, qui hic damnari putant, et contemnenda docent, ceu vanas et inutiles speculationes, cognitionem naturae y), item Astronomiae, atque adeo totius Philosophiae studia, cum tamen harum artium magna ac multa sint commoda, quae quotidie versantur ob oculos. Adde, quod in sciscitandis rerum naturis non solum utilitas, sed et magna quoque voluptas est. Et sacra scriptura indicat res, ut proponat earum proprietates et vires, quale est illud Psalmi z). Renovabitur ut aquilae juventus tua. Item, sicut aquila provocans ad volandum pullos suos. Item, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum a): Et, Vade piger ad formicam etc. Imo ejusmodi me-

---

x) Salomon in hoc libro de genere humano. 1536: Scriptura non condemnat, sed commendat studia philosophiae. y) Cognitio naturae. z) Psal. 103. a) Psal. 42.

5) planeque (1532). 6) inter (1532).

taphoris et parabolis a rerum natura sumptis plena sunt omnia, ut qui haec e sacris libris abstulerit magnam quoque lucem simul [7]) abstulerit.

Simpliciter itaque libri sive subjectum b) sive materia est, humanum genus, quod adeo stultum est, ut multa quaerat et conetur suis studiis, quae tamen assequi non potest, aut si assequitur, non tamen fruitur, sed cum dolore [8]) et damno possidet, culpa non rerum, sed stultissimorum affectuum. Julius Caesar c) versatur in studio tenendi imperii, quantis vero periculis, quantis laboribus ea res constitit? Quam ubi adeptus est, non tamen est quietus, non habet optatum, sed in maximo conatu plura consequendi miserrime perit.

Idem fit in omnibus humanis studiis, cum affluunt res, mox adest fastidium; si non affluunt, adest insaturabile habendi desiderium ac nulla quies. Viderunt hoc humani ingenii vitium Ethnici scriptores. Sic enim Ovidius d): Quod licet, ingratum est, quod non licet, acrius urit; quod sequitur fugio, quod fugit, ipse sequor. Item: Nemo sorte sua contentus vivit, et intra fortunam didicit nemo manere suam. Haec est humani cordis vanitas e), ut nunquam sit praesentibus donis Dei contentum, imo neglectui illa habens, ex aliis semper quaerit alia, nec quiescit, donec assequatur cupita, et assequuta rursum contemnit et in alia respicit.

---

b) Subjectum hujus libri. 1536: Ecclesiastae materia. c) Julius Caesar. d) Ovidius. e) Vanitas humani cordis. 1536: Humani ingenii vanitas.

7) † illis (1532). 8) dolere (1532).

Est ergo (ut repetens dicam) status et consilium hujus libelli f), erudire nos, ut cum gratiarum actione utamur rebus praesentibus et creaturis Dei, quae nobis Dei benedictione largiter dantur ac donatae sunt, sine sollicitudine futurorum, tantum ut tranquillum et quietum cor g) habeamus, et animum gaudii plenum, contenti scilicet verbo et opere Dei. Sic in sequentibus adhortatur nos, ut edamus et bibamus et laetemur cum uxore adolescentiae nostrae, et ne oleum capiti nostro deficiat, et vestimenta nostra candida sint, juxta illud Christi h): Sufficit diei malitia sua. Et ut Paulus dicit i): Curam carnis agentes, non in desideriis. Quod si haec sequeretur homo, haberet cor quietum et tranquillum, et abunde Deus suppeditaret omnia; nunc vero cruciat se homo duplici malo, dum se privat usu rerum praesentium, et frustra discruciat sollicitudine futurorum, aut si quis est rerum usus, is non est nisi amarus.

Cicero k), vir in eloquentia tantus, futurus omnino foelix, si scivisset uti quiete, sed bonus ille vir, dum semper cupit majora, et urget sua consilia frustra, vide quantis bonis se privet, et calamitatem et exitium sibi accersat. Bene ergo divus Augustinus l) inquit: Jussisti Domine supplicium esse homini, non contento suis, irrequietum animum.

Si vero quis comparet bona, quae habet, cum malis, quae non habet, is tandem intelliget, quantum

f) Status hujus libri. g) Animi tranquillitas unde? h) Matth. 6. i) Roma. 13. k) Cicero. l) Augustini dictum.

bonorum thesaurum habeat [m]). Qui habet sanos et integros oculos, non magnifacit, neque delectatur hoc beneficio Dei, quibus si privaretur, vide quanto thesauro redemptos velit. Sic in valetudine, sic in omni re agitur. Si daret mihi Deus Ciceronis eloquentiam, Caesaris potentiam, aut Salomonis sapientiam, non tamen essem contentus, quia semper quaerimus, quod non est, contemnimus, quod adest, dum non est uxor, quaeritur, dum habetur, fastiditur. Similes omnino sumus argento vivo, quod nusquam consistit. Adeo inconstans est cor humanum, indignum quod vel uno beneficio Dei gaudeat. Contra hanc humanorum affectuum miseriam invehitur hoc libro Salomon, inconstantiam et vanitatem cordis humani arguens, quod neque praesentibus neque futuris bonis fruitur, dum non agnoscit accepta beneficia, neque gratias agit, et frustra sequitur, quae non habet, quod est, vere haerere inter coelum et terram.

Caput primum.

Concio filii David, regis in Jerusalem.

Titulum Ecclesiastae [9]) sive concionatoris magis referendum [n]) puto ad ipsius libri, quam ad autoris nomen, ut intelligas haec esse verba per Salomonem publice dicta in concione aliqua suorum principum et aliorum. Cum enim rex esset, non

---

m) Collatio bonorum ad mala. n) Titulus ad libri nomen referendus.

9) Ed. 1532: Ecclesiastes.

erat sui muneris neque officii docere, sed sacerdotum et Levitarum. Quare haec arbitror dicta a Salomone in conventu quodam suorum, seu[10]) a convivio, vel etiam intra convivium; praesentibus aliquot magnis viris et proceribus, postquam apud se diu et multum cogitasset de rerum humanarum, seu potius affectuum conditione et vanitate, quae sic postea (ut fit) illis praesentibus effuderit, deinde ab illis ipsis magistris communitatis vel Ecclesiae excepta et collecta. Unde et in fine fatentur haec se accepisse a pastore uno[11]) congessisse. Sicut nostrum quispiam posset in convivio sedens, de rebus humanis disputare, aliis, quod diceretur, excipientibus. Ut scilicet sit publica concio, quam ex Salomone audierint, a qua concione placuit librum hunc Coheleth appellare o), non quod Salomon ipse concionator fuerit, sed quod hic liber concionetur, tanquam publicus sermo.

Vanitas vanitatum, dicit concionator.

Hactenus quidem summa et scopus libri utcunque cognitus est, caeterum difficultas p) posthac maxime erit in vocabulis et tropis Hebraicis, quibus abundant prae caeteris Salomonis libri. Habet enim Salomon singularem modum loquendi, vultque elegantior videri suo patre David, et sermo ejus est multo picturatior et pluribus tropis ornatior. Extra vulgi morem loquitur et aulice, Davidis sermo est simplicior, et tamen vulgaribus figuris non caret.

---

o) Ecclesiastes cur is liber dicatur (1536). p) Difficultas omnis in Hebraicis dictionibus.

10) sed. 11) † et.

Salomon vero invexit sermonem aulicum q), et sicut solent aulici vitiare simplicem patrum sermonem, praesertim scribendo, sic et Salomon, ne videatur loqui ut vulgus, recedit nonnihil a simplicitate paterna et Mose, qui est omnium simplicissimus, et tamen habet multas egregias figuras, ut David, sed vulgares.

Vanitas vanitatum.

Hebraismus est. Cum enim Hebraei non habeant superlativum neque comparativum, coguntur per compositionem facere superlativum vel etiam comparativum. Sic illi Canticum canticorum, id est, summum et excellentissimum canticum, quod fecit Salomon. Vanitas vanitatum, id est, maxima et summa vanitas, et prorsus tota vanitas. Hoc totum dicit, non in res ipsas, sed in cor humanum quod rebus abutitur suo incommodo. Ingeminatio vero istius Vanitas vanitatum r), et omnia sunt vana, copia Salomonica est.

Ponit vero hoc exordio tanquam thema totius libri et argumentum, de quo velit dicere: dicens se de summa et maxima vanitate loqui, quomodo homines sint vanissimi in omnibus suis studiis, quod non sint contenti praesentibus, quibus non utuntur, neque futuris frui possunt, vertunt omnia, etiam optima in miseriam et vanitatem, sua culpa, non rerum. Quod vero haec sit summa, ex sequentibus facile cognosces, ubi vides eum loqui de vanitate, quam homines habent in suis laboribus et studiis, non in rebus ipsis.

---

q) Salomon aulico sermone usus. 1538: Salomonis sermo aulicus. r) Ingeminatio, Vanitas vanitatum.

Quid habet homo reliquum de universo labore suo, quem efficit sub sole?

Scilicet, quam vanitatem, hoc est, homines suis consiliis et studiis ducuntur et trahuntur, et in tantis conatibus quid habent? nihil quam vanitatem, quia habent vanos labores, es ist fein nutz nicht. Neque enim fruuntur praesentibus nec absentibus, quia cor non est quietum, sic inter coelum et terram suspensi feruntur, et plane nihil efficiunt. Hoc enim proprie significat vocabulum Vanitas s), quod nos dicimus: Nihil. Congregant thesauros, opes, potentiam etc., et haec tamen omnia sunt nihil. Aurum quidem est aliquid, sed tibi nihil est, qui eo non uteris.

Emphatice igitur accipiendum quod dicit: de labore suo t), quo verbo significat se acturum non de operibus Dei, in quibus sanctitas et salus est, ut sunt omnes creaturae, sed de operibus hominum, qui suis consiliis aguntur et feruntur, ut compescat eorum calamitates et laboriosa negotia.

Nec loquitur de labore manuum u), qui est praeceptus divinitus, Gene. 3 v): In labore vesceris pane tuo. Sed de nostro conatu et consiliis, quibus efficere quae nobis placent conamur. Nam vocabulum Amal w) significat aerumnam et calamitatem potius quam opus, eum scilicet laborem, quo homines sese affligunt et frustra discruciant. Est enim miserrimus labor, tantopere conari in statuendis consiliis et explendis conatibus, et tamen nihil

s) Vanitas, quid sit. t) De labore suo. u) Manuum labor. v) Gene. 3. w) Amal

prorsus efficere. Ait ergo: Quid habet homo reliquum etc. Id est, quod homo multa conatur, ut sua consilia expleat, quid habet ex istis studiis et laboribus, quam vanissimam vanitatem?

Sub sole.

Descripturus est regnum vanitatis, imo et locum hujus regni, appellatque totum hoc vanitatis regnum, negotium sub sole x), singulari phrasi, quam alias in scriptura non legimus, ut per hoc excludat opera divina, quae Deus ipse, vel etiam in nobis, operatur, et nos operari jussit, quae potius sunt supra solem y), et extra hominum studia. Sol enim oritur ad hoc, ut homo egrediatur ad opus suum, Psal. 104[12] z) ut sit lux mundi, ut serviat in rebus corporalibus. Sub isto, inquam, sole agitantur ista vana studia, quibus affliguntur homines.

Hoc iterum notandum, ad eximendam vanam cogitationem, qua haec interpretati sunt de vanitate creaturarum. Subjectae quidem sunt creaturae vanitati a), ut Paulus Roma. 8. b) testatur; sed tamen res ipsae bonae, alioqui dixisset, solem vanum esse, sed solem excipit, quia dicit, sub sole. Agit igitur non de operibus Dei, quae bona, vera et supra solem sunt, sed de operibus, quae sunt sub sole, quae nos facimus in hac vita corporali terrena.

---

x) Sub sole dicit, ut de hominis non Dei operibus se loqui ostendat. 1536: Negotium sub sole. Solis usus. y) Supra solem. z) Psal. 104. a) Vanitas creaturarum. b) Rom. 8.

12) 1532 et 1536: 103.

Saeculum aliud praeterit, aliud succedit, et terra perpetua consistit.

Vides eum recitare, non opera sub sole, sed ipsas res et creaturas Dei, ut sunt generatio hominum, sol, aqua, terra, et comprehendit ipsa ferme quatuor elementa c); nam et philosophi sic distinxerunt quatuor elementa, in quibus agunt omnia, quae sunt in mundo. Ignem d) posuerunt sursum super tria elementa, et Salomon videtur solem accipere pro isto igne elementari, sic ut his verbis exponat, quid voluerit intelligi istis verbis: sub sole, ut sit summa sententiae: res quidem mundi, ut sol, aer, aqua etc., in quibus versantur homines, consistunt sua certa lege e), eunt, redeunt, moventur etc. ita ut ordinata sunt, habent certas vices, non fluctuant, neque aberrant, sed agunt quod debent, sicut sol sua via et certo motu movetur etc. Homines vero, qui in istis quatuor elementis, rebus inquam stabilibus, versantur, non possunt sic agere, sed fluctuant, nutant, varietate suorum conatuum ac cupiditatum instabilissimi, non contenti suis terminis, negotiis, vocationibus etc. Proinde non recte exponunt, qui generationem praetereuntem Judaeorum, succedentem Christianorum intelligunt, cum hic de perpetuo successu generationum seu saeculorum loquatur.

Sol oritur et occidit, et ad suum locum anhelans rursus oritur ibi, et percurrit meridiem, et flectitur ad aquilonem, raptatus et circumiens ventus rursum recurrit.

Perseverat Salomon in descriptione regni et

c) Quatuor elementa. d) Ignis (1536). e) Omnes creaturae praeter hominem sua lege feruntur.

loci vanitatis, probatque solis stabilitatem ex ejus perpetuo constantique ortu et occasu ac cursu. Deinde vult Salomon significare, quod ventus vel aer sequitur impetum currentis solis, hunc enim facit fere dominum et rectorem elementorum. Iste, inquam, sol habet ventum et moderatur omnia sua administratione, temperatque suo cursu aërem, aquam, ventum etc f). Quando oritur, facit alium aërem, ut videmus; quando occidit, alium. Sic etiam alias aliter afficit aquam etc. Nam occidente sole terra fit humida, aqua frigida, aer humidus etc. Quin et universa fere creatura varie afficitur ad occasum et ortum solis.

Et ad locum suum anhelans.

Verbum Saaph, pro, quod noster male posuit, evertitur, significat attrahere spiritum. Significatur ergo, quod sol nimio impetu, quo movetur, quasi causa est omnium ventorum et spirituum, sicut cum quis currit, impellit aërem et concitat spirationem. Anhelare g) ergo est celerrimo impetu ferri ab oriente ad occidentem, et inde iterum in orientem, quod fit singulis diebus ac noctibus.

Raptatus ventus vel circumiens spiritus

Hoc est: sol cum revertitur ad orientem, ut ibi oriatur, rapit secum ventum, et habet in manu sua ventum. Hoc totum est copia Salomonica, qua breviter nihil aliud vult, quam solem quotidie oriri et occidere, et ejus impetu ferri ventum.

---

f) Solis motum sequuntur ventus, aer, aqua etc. 1536: Sol rector elementorum. g) Anhelare quid sit hoc loco: 1536: Saaph.

Omnia flumina intrant mare, et mare non redundat; flumina ad locum unde manant redeunt, ut inde rursus effluant.

Disputat Aristoteles, unde veniant fontes et venti, et valde in eo investigando sudat, et cum illo multi alii, sed nusquam invenitur, quod Salomon hic dicit, omnia flumina venire ex mari, et rursus implere mare, mare ponens aquarum omnium ac fluminum originem et principium, ex quo per occultos meatus scaturiant et erumpant, cum tamen plerique philosophorum singulis fere fluminibus suas origines sub terra esse fingant, unde scaturiant, sed vera est Salomonis sententia, videlicet, omnes omnium et fontium et fluminum gurgites h) ex mare fluere et refluere. Sunt autem haec maxima miracula. Primum in cursu et motu illius vasti luminis, de quo jam dictum, deinde in hoc, quod flumina intrant mare et tamen mare nunquam redundat. Alioqui si vel Albis tantum fluxisset ab initio mundi, potuisset replere totam sphaeram aëris, ad lunae usque sphaeram. Nunc vero cum fluxerit plus quam quinque millibus annorum, adhuc tamen suo littore continetur et non redundat.

Dicit ergo, omnia ferri suo ordine, et sese mutuo sequi perpetuo motu, sicut sol i) assidue movetur et nunquam cessat. Ita etiam aer semper est in motu, sic etiam flumina intrant assidue in mare et mare iterum in amnes et fontes, per occultos terrae meatus et venas montium, quasi distillatur

h) Causa et scaturigo fontium et fluminum. 1538: Mare fluminum et fontium origo. i) Omnia perpetuo motu feruntur. Sol.

et exudat. Und ist die Erde ein rechter Laugensack, dadurch das Wasser geläutert wird. Ita vides Salomonem[13]) paucis verbis comprehendisse mirabilem dispositionem et motum quatuor elementorum inter se, cum nominat terram, solem, ventum, flumina k).

Credo autem Salomonem hoc velle, ut allegoria vicissitudinum istarum in natura trahat nos ad rem, quam agit, et illam tanquam similitudinem accommodet ad nos l), quasi dicat: sicut illa omnia manent in suis vicibus etc., ita et omnia nostra. Sol in continuo suo cursu nunquam fatigatur, et aquae intrant mare, nec tamen exhauriuntur etc. Sic est cum hominibus. Non cessant imitari superiores, qui studuerunt vanitati; sicut illi nihil effecerunt, sic et nos nihil efficimus. Nemo aliorum exemplo emendatur, aut aliorum periculo fit cautior. Julius m) vanissimis studiis fuit occupatus, Cicero n) studuit eloquentiae, sed quis ejus studii finis? Vanissimus, quia non est assequutus, quod volebat. Si usus fuisset eloquentia non secundum sua consilia, sed casum et usum hominum, foelix profecto fuisset. Illorum exempla sequimur et nos etc. Omnium igitur hominum studia sic oriuntur et occidunt, eunt, redeunt et manent, ut semper fuerunt. Sic non solum in his verbis descriptio est, ut dixi, regni vanitatis, sed etiam similitudo et imago studiorum humanorum.

Omnis causa difficilis est, neque quisquam explicare verbis potest.

Hunc textum corruperunt sophistae, dum hic

---

k) Aer. Mare. Flumina. l) Ut creaturae suo motu feruntur: ita homines ad vanitatem rapiuntur. m) Julius. n) Cicero.
13) Salomon.

putant philosophorum studia taxari, quibus rerum naturas et causas scrutantur, quasi hoc malum sit et inexplicabile. Sed non est málum o) scrutari rerum naturas et proprietates. Deinde et causae sive res mundi sunt omnium manifestissimae, tantum abest, ut sint difficiles..

Est ergo haec sententia p), se quidem velle dicere de vanitate humana, sed tam multas esse, tamque [14]) magnas illas vanitates, ut putet se non satis posse de his dicere. Non potest (inquit) dici, quanta sit vanitas hominum, quod et Persius exclamat: O quantum est in rebus inane. Et alius, nemo vivit sua sorte contentus, et intra fortunam didicit nemo manere suam. Latius patet vanitas, quam ut per omnia negotia hominum recenseri possit. Parce ergo dicturus sum de vanitate, si rei magnitudinem species. Tanta enim est vanitas, ut non possim ullo sermone assequi, res est major, quam ut possint illi capere, vel ego explicare, es ist zu groß und zu viel. Difficile est varietatem humanarum cupiditatum et conatuum enarrare, quid Julius cupiat, quid Alexander, quid Salomo, quid Cato, quid Scipio, quid Pompejus. Affectus semper sunt majores q), quam possunt esse verba. Probat autem exemplo quod dixit.

Non saturatur oculus videndo, nec auris audiendo.

Id est, homo habet oculos et sensus irrequietos,

---

o) Rerum naturas et causas scrutari non est malum. 1536: Philosophiae studium non damnatur. p) Germana hujus loci sententia. q) Affectus majores verbis.

14) tam.

si tantum haec studia narrare coepero, quae captamus oculis vel auribus, infinitum simul laborem coepero. Si oculus non saturatur videndo, quomodo possem omnem hominis vanitatem verbis consequi? Summa, pravum est cor hominis et inscrutabile. Tanta est varietas affectuum et cupiditatum humanarum r), ut oculi nunquam exsaturentur, jam hoc, jam aliud cupiunt, et cum consequuntur, tamen non expletur animus. Cor est vorago semper hians, omnia cupit, etsi omnia assequeretur, tamen quaereret plura. Vide Alexandrum Magnum s), qui cum toti fere orbi dominaretur, tamen cum audit plures mundos esse, ingemuit, dicens: Et ego nondum unum vici. Sic plane innumerabiles mundos cupit illius animus. Quis hic vel eloquentissimus possit assequi affectum illum vanissimum istius cordis? Est indicibilis ista vanitas et insatiabilitas cordis humani. Was er hat, das gefällt ihm nicht; was er nicht hat, da sehnet er sich nach. Non saturatur oculus videndo, generaliter expone, non sicut illi exposuerunt, non saturatur videndo coelum.

Quale est id, quod fuit? Illud ipsum, quod futurum est; quale est id, quod factum est? Illud ipsum, quod fiet. Et nihil est sub sole novum, neque de ullo 15) negotio dici potest, ecce hoc novum; jam enim simile fuit superioribus saeculis. Non est recordatio priorum, et non erit recordatio eorum, quae postea accident apud posteros.

r) Inexplebilis hominis cupiditas Jerem. 17. 1536: Cordis humani vanitas. s) Alexan: Mag:. 1536:. Alexandri Magni cupiditas inexplebilis.

15) illo.

Hic iterum nugantur sophistae, dum haec de rebus ipsis intelligunt, cum tamen manifeste significet, se de affectibus et cupiditatibus loqui, cum ait: Non saturatur oculus etc. Quia auditus et visus sunt sensus, qui maxime sentiunt res et afficiuntur rebus. Estque haec sententia.

Quale est id, quod fuit? etc.

Id est, postquam parasti quod volebas, nondum tamen mens quiescit, ita es affectus post paratam rem, sicut eras ante paratam rem. Animus nunquam expletur t), Alexander parto orbe, nihil habet amplius quam antea, quia animus nihilo plus saturatur, sicut ante conatum nihil effecit, sic et postea nihil efficit. Julius u) cogitat constituere rempublicam, idem cogitat Brutus v), et neuter efficit. Hoc est, quod ait: Quale est id, quod fuit? plane id quod factum est, id est: semper est idem affectus; qui nunquam saturatur, quod vult et studet habere aut efficere, est illud ipsum; quod jam habet. Summa, was einer heut hat, das will er morgen noch mehr haben. Significatur enim ille irrequietus et insatiabilis appetitus et vanitas cordis humani, quod non potest satiari rebus praesentibus, quibuscunque etiam. Hoc quod hodie perfeci, nihil est, sive aliquid habuero, sive effecero, non tamen sum contentus, semper volo alia facere. Sic faciunt omnes homines w), sic fecit Julius, sic Pompejus, sic Alexander. Et quod illi fecerunt, faciunt omnes; cupiunt futura, fastidiunt praesentia. Memineris ita:

---

t) Infinita hominum cupiditas. u) Julius. v) Brutus. w) Opus hominum.

que eam his verbis loqui de facere humano, non de rebus creandis vel creatis, quia semper dicit de iis, quae fiunt sub sole, in hoc regno mundi. Sequitur itaque:

Nihil sub sole novum, nec de ullo negotio dici potest: Ecce hoc est novum.

Torsit hic locus maxime sophistas, cum legerent in sacris literis, multa nova facta x); nam Christi nativitas nova est, mater virgo novum est. Item: Ego creo coelum novum et terram novam. Et: Nova facio omnia. Item: Novum faciet Dominus in terra etc. Hae sententiae fecerunt, ut hic egregie nugarentur, ut conciliarent utraque, et quod hic Salomon, et quod illae dicunt. Sed hoc factum est ignorantia phrasis Salomonis, quia non attenderunt quid velit, cum ait: Sub sole. Nam si de rebus ipsis et operibus Dei intelligas, non est verum, Deus enim semper facit nova, nos vero nihil novi facimus, quia idem est vetus Adam in omnibus y); majores itidem abusi sunt rebus, ut nos abutimur. Eundem affectum z) [16]), quem habuit Alexander, habuit et Julius, eundem Caesares et reges omnes, eundem habemus et nos. Sicut illi non poterant repleri, sic nec nos; illi fuerunt impii, sic et nos; cupimus implere omnes sensus, sed non possumus, quia cor est insaturabile. Nihil itaque novi facimus sub sole, nulli sunt novi affectus in homine, sed manemus semper iidem, nec abstine-

---

x) Nova facta. Error sophistarum non animadvertentium Salomonem de rebus sub sole, hoc est, humanis loqui. y) Vetus Adam in omnibus idem (1536). z) Idem affectus omnium hominum.

16) effectum (1532).

mus a curiositate, vel exemplo illorum admoniti. Deberet cor humanum contentum esse praesentibus, et futurorum affectum jugulare, quod, quia non fit, merito vanissima vanitas est. Hoc est ergo, quod dicit: Nihil novum sub sole, id est: in hominibus nihil est novum, Deus vero multa nova fecit [17]).

Atqui dicit infra hoc eodem capitulo: Ego praecessi omnes reges sapientia, qui fuerunt ante me, nonne hoc novum erat? Recte. Sed hoc erat donum Dei a), ergo valde novum. Verum omnes homines idem affectant, et non invenies vel unum hominem, qui novo modo fuisset affectus. Alii aedificarunt, ut nos, bella gesserunt, ut nos. Et ut illi suis affectibus et conatibus non sunt assecuti, quod voluerunt, sic neque nos, Deus vero per sua opera et dona multa et magna et semper nova facit.

Non est memoria superiorum.

Id est, homines sequuntur suas cupiditates, [18]) suos conatus urgent, nec moveri se sinunt exemplis superiorum, quod illi nihil effecerunt, nemo considerat irritos fuisse Alexandri b) et Julii c) conatus, Brutum d) non commovit exemplum Dionis infoeliciter urgentis sua consilia in Dionysio revocando, ejusque rempublicam constituendo. Haec sunt quasi thema totius libri e), de qua re dicturus sit, nempe de vanitate humana, quae multa conatur et nihil assequitur, id est, de inconstantia et insatiabilitate cordis humani.

---

a) Quod Salomon omnes reges sapientia antecelluit, Dei donum fuit. b) Alexander. c) Julius Caesar. d) Brutus. e) Summa totius libri.

17) facit. 18) † et (1532).

Ego concionator fui rex in[19]) Israel in Hierusalem, et constitui in animo meo quaerere et investigare sapienter de omnibus, quae fiunt sub sole.

Audivimus hactenus generale thema seu argumentum libri, quo proposuit se dicturum de infoelicibus studiis et conatibus hominum, quibus nituntur sua consilia statuere et implere, quos Deus irritos facit, ut quibus semper resistat. Hic jam incipit enumerare particularia, dialectica inductione universalem illam propositionem, qua librum coeperat, collecturus, scilicet: vanitas vanitatum etc. Et vanitatem hanc seu miseriam auget, quod cum homo videat frustrata priorum hominum studia, et irritos fuisse conatus, illosque frustra sese afflixisse, non tamen eruditur. Adeo enim insipiens est caro, adeo caeca est ratio, ut nullis exemplis emendetur.

Incipit autem a seipso, et se ponit exemplum vanitatis. Ego, inquit, conatus sum constituere regnum sapienter et praeclare, nec effeci, tametsi rex essem divinitus constitutus. Notum est enim, hunc regem de divina sapientia f) commendatum esse et nobilitatum in sacris litteris. 3 Reg. 3 g). Quia (inquit Deus) postulasti verbum hoc, non petiisti tibi dies multos, nec divitias etc., ecce dedi tibi cor sapiens et intelligens, adeo ut nullus ante te tui similis fuerit, nec post te futurus sit. Magnum

---

f) Salomon commendatus de divina sapientia. g) 3. Reg. 3.

19) „in“ deest 1532.

hoc est[20]) de hujus regis sapientia testimonium, et tamen rex tam sapiens et prudens, non effecit quod voluit, non habuit successum illius conatus, et recte quidem, non enim dedit ei Deus hanc sapientiam ut omnia posset. Non dixit Deus: Dabo tibi sapientiam, quam audient alii etc. Itaque ex hac sapientia plus laboris et doloris habuit Salomon, quam successus. Videbat quidem placere Deo, ut recte regnum constitueret et jura populo diceret, sed nemo sequebatur, nec principes nec populus.

h) Ait ergo: siquidem mihi non processerunt mea consilia, neque iis obtemperatum est, quid continget aliis, qui minus sapiunt? Primo, inquit, protestor meam experientiam. Ego concionator fui rex Israelitarum. Omnia verba sunt emphatica et magnifica: rex sum, et tamen nihil efficio; quis enim resistet regi, qui est omnium dominus? Deinde non simpliciter rex, nec cujusvis populi, sed populi Dei, in quo multi fuerunt sancti viri, prophetae, legis doctores etc. Postremo rex in Hierusalem, loco nimirum sancto, quem elegit Deus, ut habitaret ibi. Si rex tam potens, liber, sapiens, populi sanctissimi, in civitate sanctissima, praesente Deo et verbo Dei, tamen non potest perficere bona consilia sua et sancta, quid de aliis dicemus?

Et constitui in animo meo quaerere et investigare sapienter de omnibus, quae fiunt sub sole.

Manendum iterum in themate. Non loquitur

---

h) **Proponit considerandum.**

20) „est" deest.

de factis Dei, quae non coartantur sub sole, sed sunt ubique, sed de his, quae aguntur et fiunt per homines sub coelis, qui est locus et regnum nobis commissum, nam opera divina sunt supra, infra coelum et ubique; sunt ergo opera, quae nostris consiliis et viribus facimus i), de quibus dicit: ego constitui in animo, ut omnia optime disponerem, ut haberem regnum optimo ordine constitutum, sed quantum Deus operabatur, tantum ordinabatur. Caeterum ubi Deus non addebat manum, ibi ego successi urgens mea consilia, sapientiam et conatus ut omnia recte curarentur, sed frustra. Nihil enim egi, nisi quod me misere torsi et excruciavi (ut sequitur):

Hanc afflictionem malam dedit Deus filiis hominum, ut hac cruciarentur.

Id est: Deus dedit mihi hanc cogitationem in poenam, ut tandem discerem, quod non debeo sapientia mea confidere, et omnia frustra esse, licet sapientissime tentata, quando Deus non vult. Non potui ferre, si esset aliquis defectus, aut aliquis error etc. Juste igitur accidit, ut hac cogitatione affligerer, ut erudiret me illius voluntati resignare omnia, et ut viderem sapientiam meam nihil esse. Est autem mala afflictio k), quia nos sapientiae divinae non volumus cedere, et volumus plus sapere, nec ferre ea, quae Dei sapientia fert, nec illius voluntati nos committimus.

Caeterum ipsa cogitatio et inquisitio, qua consultum volumus reipublicae, non solum non mala,

i) Opera quae consiliis faciunt etc. k) Mala afflictio.

sed pia est quoque l). Bonus certe vir est, qui consultum cupit orbi terrarum, qui sic afficitur, disputatque: utinam ista civitas et princeps recte saperent, non male cogitat, nec afficitur. Sollicitum enim esse pro constituenda et conservanda republica, optima certe virtus est, et inter homines summa. Ista inquam optima inquisitio, qua consultum volebam reipublicae, erat vana, non successit, sed afflictionem mihi peperit. Cicero m), Demosthenes n), prudentissimi viri, optime consultum volebant reipublicae, et tamen magis implicuerunt eam omnibus malis. Ita Deus fecit irritam horum sapientiam. Sic ergo sollicitudinem et curam consulendi rebus, sive publicis sive privatis, nostris consiliis et sapientia, damnat hic liber.

Vide Adam o), Abraham p), Isaac et omnes sanctos Patres, quam primum coeperunt niti suis consiliis, praeter verbum Dei, statim retro abibant omnia, et nihil efficiebatur 21). Nisi enim verbo suo Deus praeierit hominibus, nihil boni efficiunt. Sine operatione divina et verbo nihil agimus, etiamsi incipiamus. Sic Eva et Adam q), cum nato Cain dicerent: Possedi hominem per Deum, frustrati sunt, quia erat humana cogitatio sine verbo, habebant magnificas spes, hunc fore semen. Educatur, instituitur haeres orbis. Mox Cain occidit fratrem, ibi cecidit et vana facta est omnis eorum cogitatio. Sic

---

l) Cura administrandae reipubl. bona est, sed affectus humani cordis vanus est. m) Cicero. n) Demosth.: 1536: Ciceronis et Demosthenis consilia non habuerunt felicem successum. o) Adam. p) Abraham. q) Adam. Eva.

21) † und ward nichts draus.

Isaac r) fallitur in primogenito Esau. Saul s) frustra cogitat regnum suis filiis tradere. Sic David t) erat, cum praetulit Absalonem. Sic eludit Deus cogitationes et consilia, quae non nituntur verbo; et recte. Quare enim ipsi volumus praescribere et addere sapientiae ejus? u).

Discamus ergo nos submittere consiliis Dei, et abstinere ab iis curis et cogitationibus, quas Deus non mandavit. Nihil tutius nec Deo magis acceptum, quam si abstineamus a nostris consiliis, et suo verbo nitamur, ibi plus satis inveniemus, quod agamus. Mandavit nobis fidem, dilectionem, crucem. Illis, inquam, foeliciter occupari poterimus[22]), reliqua agamus, ut in manus venerint, ipsi relinquentes curam de eventu. Nunc vero, quia contemnimus ejus verbum, Deus vicissim sic punit nos, ut frustra cruciemur. Deus enim resistit, ne eveniant vel bona vel mala, quae cogitant sapientes, principes, neglecto verbo, ut Psal. 33 v) dicitur: Dominus dissipat consilia gentium etc. w).

Proinde ubi est speciosissima sapientia et diligentissima operatio, ibi Deus maxime facit irrita consilia, quod palam fit nostris temporibus, ubi tot Comitiis, tam multis consiliis, nihil effecerunt Germaniae principes et Episcopi. Neque tamen vel sic eo nos perducere potest Deus, ut summittamus nostra consilia sibi. Dicitur ergo occupatio mala, id est, quae affligit et cruciat (non quod res illae, su-

---

r) Isaac. s) Saul. t) David. u) Humana consilia fallunt. (1536.) v) Psal. 33. w) Humana consilia divinitus dissipantur.

22) poteramus (1532).

pientia, consilia etc. sint mala [23]) usitata phrasi scripturae, sicut Matthaei sexto x): Sufficit diei malitia sua. Hanc autem malitiam seu afflictionem y) dedit Deus hominibus, non ut perderet eos, sed ut avocaret a stulta sapientia et consiliis suis, et erudiret nostram sapientiam nihil esse. Cicero z) sapienter quidem multa scripsit, quae cum legentes exprimere conamur, omnia eunt cancri more, et nihil fit, quia nostris consiliis aggredimur. Non enim sapientia etiam vera aliquid efficit, sed Dei voluntas, ut discamus orare: Fiat voluntas tua etc.

Contemplatus sum omnia, quae fiunt sub sole, et ecce omnia sunt vana, et afflictio spiritus. Curva non possunt corrigi, et defectus non possunt numerari.

Est confirmatio praecedentis dicti. Non solum meo exemplo comperi vanitatem hanc, sed contemplatus sum alios omnes, vidique illorum perinde atque mea consilia frustrari; sicut mihi non succedebant propria consilia, sic nulli in toto orbe vidi succedere. Sapientium consilia aeque frustrantur ut stultorum. Rejicitur ergo his verbis ille adfectus, qui dicitur bona intentio, cum vulgo dicunt: Ich habe es gut gemeint. Sed nihil est bona intentio a), nisi quae regitur verbo Dei; et quae a fide incipit, reliquae etiam in speciem optimae fallunt, et vel maxime nocent. Hoc et Cicero b) ipse expertus testatur, optime cogitata pessime evenire. Et recte facit Deus, cum sic frustratur nostra con-

x) Matth. 6. y) Afflictio mala. z) Cicero. a) Bona intentio. 1536: Bona intentio damnatur. b) Cicero.

23) male.

silia, quia ubi vel parum succedit, mox inflantur homines et sibi arrogant gloriam, quod est contra gloriam Dei, qui vult solus gloriari etc.

Iniquitas vel curvitas non potest rectificari, et defectus non potest numerari.

Causam addit, quare omnia affligant frustranea cura et sollicitudine. Quia, inquit, defectus infiniti sunt, qui non possunt corrigi, quorum magnitudo et multitudo [24]) vincit omnia humana consilia. Vult ergo dicere: Ego quidem sapienter satis intelligo, quid expediat et conveniat, sed quid ad haec facturus sum? Tanta est curvitas et pravitas in negotiis humanis, ut nunquam possint corrigi. Vide regnum Romanum c), quod tametsi prudenter administraretur, nunquam tamen constanter pacem suis consiliis invenire nec efficere potuit, sed in locum unius caesi hostis orti sunt multi. Et ubi non erant externa bella, orti sunt intestini motus, donec periret respublica. Ita et omnibus hominibus contigit: unusquisque videat cursum suae vitae, et si cui ex proposito evenit omni tempore vitae, arguat hunc libellum mendacii.

Quare optimum fuerit, omnia committere Deo, et sequi illos, qui dicunt: Mitte vadere d), sicut vadit, quia vult vadere, sicut vadit. Quod etiam germanicum proverbium monet: Du bist viel zu geel umb den Schnabel, daß du solltest alte [25]) Schälk fromm machen e). Hinc vides principes, qui

---

c) Rom. Imp. d) Mitte vadere. e) Iniquitatis magnitudo tolerantiam exigit.

24) „et multitudo“ deest. 25) „alte“ deest.

omnia optime reformare et corrigere volunt, saepe plurimum nocere. Non potest in rebus humanis tam bene agi, ut omnia recte fiant, et non plurima mala restent. Rectissimum ergo est ambulare in fide, quae permittat Deum regnare, et oret, ut adveniat regnum Dei, interim toleret et patiatur omnia mala, tradat autem hoc judicanti juste f). Sicut Christus non credebat se hominibus, toleravit vero omnium defectus et iniquitates. Ubi occisus nunciatur Johannes Baptista, horrendum facinus, tacet, abit in desertum, dat cibum populis, nimpt sichs nicht an, solum praedicat verbum, et facit suum officium. Sic ergo christiana sapientia g) est, committere se regno Dei, et tradere causam judicanti juste. Potest quidem christianus judicare peccatum verbi officio, sed admoliri manum non debet, nisi a Deo coactus vel verbo jussus. Cum itaque tu solus sis, neque possis omnia restituere et rectificare, committe huic, qui plus habet virium, et qui solus omnia potest.

Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce factus sum magnus, et excello 26) sapientia omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem, et mens mea consideravit multa sapienter, et didici et applicui animum ad discendam sapientiam et scientiam, et stultitiam, et imprudentiam, et cognovi etiam hoc esse afflictionem spiritus, quia cum magna sapientia est

---

f) Johan. 7. g) Christiana sapientia.

26) antecello.

magna indignatio, et cum augetur scientia, augetur dolor.

Eadem sunt fere, quae supra dixit. Ego, inquit, saepe cogitavi, qui fieret, ut non succederent conatus et consilia mea, cum tamen factus sim magnus, et antecellam sapientia omnes etc. Nam praeter sapientiam divinam, qua a Deo donatus erat h), praecellebat etiam admirabili sapientia humana sive politica, in tantum, ut vel ordo ministrorum ejus esset miraculo reginae Arabiae.

Sapientiam et scientiam.

Scientia i) ferme significat non speculativam notitiam, sed practicam et experimentalem cognitionem, discretionem in rebus agendis, quam nos vocamus experientiam et usum rerum, ut in Psal.: Bonitatem et scientiam doce me. Sapientia k) autem est cognitio, qua video, quomodo sit respublica constituenda, et administranda, quam postea scientia seu experientia moderetur [27]), secundum res praesentes et circumstantias, ratione quadam et modo, ut res et tempora ferunt etc.

Stultitiam et imprudentiam.

Scilicet, ut haec amoverem a me et meo regno, illa vero promoverem; sed quid evenit? Expertus sum etiam hoc esse afflictionem spiritus et inutilem curam, quae non assequitur finem. Igitur sapientissimum est sic se componere, ut omnia possit ferre. Quare?

Quia cum magna sapientia est magna indignatio.

Wer viel fiehet, und weiß, wie es gehen soll, non

h) 1. Reg. 10. i) Scientia. k) Sapientia.
27) moderatur (1532).

potest facere, quin stomachetur, et cogitat: Ach wie heillos, wie schändlich gehet es zu in mundo. Unde autem haec stomachatio ac indignatio, nisi ex multa sapientia? qui enim multa sapit, habet causas irascendi multas, ut qui quotidie videat multa indigna. Qui habet clausos oculos, nihil scit, non indignatur. Itaque disce tacere, committere regnum Deo, et orare: Domine, fiat voluntas tua. Alioqui fatigas cor et corpus, ac tempus perdis et vitam tuam.

Caput secundum.

Ego dixi in corde meo: Ibo et affluam deliciis, et fruar voluptatibus, sed ecce id quoque vanum est.

Quia capite praecedente ostendit curam et sollicitudinem et consilia humana, praesertim ea, quibus consultum volumus hominibus, vana esse et nihil, et docuit, contentos nos esse debere verbo et opere Dei, sic ut nihil praesumamus, nisi quod verbum Dei praescribit aut ejus opus cogit, quod tamen saepe verbo videtur contrarium, ut cum opprimit nos aliquo malo, etiam cum recte secundum verbum egimus. In quo est opus fide et patientia, ne ibi quaeramus nostra consilia, et illis conemur elabi, sed committamus nos ipsi, et toleremus manum Dei in opere suo. Nunc vertit se in alteram partem.

Dixi in corde meo: Ibo et affluam deliciis etc.

Quasi dicat: Cum non prosint [28]) sollicitudines

---

28) possint (1532).

et propria consilia, abstinebo ab illis, vertam me ad dexteram, et assumam mihi vitam tranquilliorem, faciam mihi otium et tranquillitatem, delectabor bonis, sinam omnia vadere, sicut vadunt et volunt, vivam vitam voluptariam l); sed id quoque erat irritum, neque magis successit, quam prius illud sapientiae et sollicitudinis humanae consilium; nam et Deus hic quoque resistit. Non enim contingit tranquillitas, nisi ex verbo et opere Dei, et ipsa experientia hoc docet. Saepe instituuntur symposia ad excitandam laetitiam, excogitantur dapes et ludi pro exhilarandis convivis, sed plerumque contrarium evenit, und wird selten eine gute Collation daraus. Quia aut adsunt tristes et severi aliquot vultus, aut aliud quippiam perturbat omnia, maxime ubi sic deliberant consuluntque de futuro gaudio; saepe autem fit, ut quis casu, id est, Deo sic dante incidat in laetissimum convivium. Sic quoque fit in aliis rebus.

Quaerit quis voluptatem in amore m), sed mox sentit amara, quod et conqueritur divus Augustinus n) quoque in Confess. libris, misere se flagellatum in mediis amoribus. Sic ubi capimus voluptates, mox suffunduntur amaritudine. Nihil ergo melius, quam esse in verbo et opere Dei, sic instituere cor, ut sit quietum et contentum praesentibus. Si Dominus dederit uxorem, habenda est in praesenti et ea fruendum; si velis excedere hos limites, et augere hoc praesens donum, pro voluptate continget moeror et tristitia. Simpliciter itaque agendum, quod vult

---

l) Gaudium. m) Voluptas in amore. 1536: Voluptates amare. n) Augustinus.

et dat Dominus. Si cupis gaudere et delectari, expecta ab ipso; sicut ergo ipse offert tibi, ita apprehende et laetare cum laetantibus, neque inter laetos velis esse sapiens et severus, ut faciunt sanctuli, qui conturbant aliorum hilaritatem, quam Deus dat, tantum ut agnoscas haec omnia tibi divinitus contingere, et ex ejus manu accipias et utaris, tanquam ejus dono.

Summa: non est fruendum laetitia, bonis, consiliis nostris, nec ulla alia re, sed ut Deus dederit, ita utamur. Man laß Gott walten. Nostrum non est locum, personam et modum praescribere, alioqui fallemur. Non itaque damnatur laetitia o) ut mala aut vana, sed damnatur humanus conatus et consilia, dum ipsi volumus aut conamur nobis laetitiam parare [29]), non respicientes voluntatem Dei, sed sicut a Deo venit utrunque, sic utamur p). Sicut accersere sollicitudines et tristitiam nostris consiliis peccatum est, et contra cum a Deo imponuntur, non velle pati, etiam peccatum est. Ita fugere laetitiam et non accipere cum datur a Deo, etiam damnandum est, sicut tristes illi sanctuli, qui exterminant vultus suos, id est, locum, tempus, personam quaerunt tristitiae, et praescribunt regulas severitatis, quod est hypocritarum et vanum. Volunt nos flere cum flentibus, et ipsi nolunt gaudere cum gaudentibus q). Tristitia, laetitia et omnia illa, sive externa sive interna, non debent mensurari

---

o) Laetitia res bona. 1536: Laetitia non damnatur.
p) Matth. 6. q) Rom. 12.

29) parere.

loco, tempore etc., sed sicut veniunt a liberrimo Deo, ita liberrime illis utendum est.

Dicit itaque: Dixi in corde meo: Ibo et affluam deliciis etc.

Id est, volui mensurare modo et regula rem, sed nihil fuit hoc nisi vanitas. Hic iterum monendum, ne aberremus a themate cum Hieronymo r), qui stulte gloriatur, se ex hoc libro didicisse contemptum mundi et omnium rerum, quem postea sequuntur monachi et sophistae, nescientes, quid sit mundum fugere, imo quid mundus s). Nam hoc est vere docere contemptum bonarum creaturarum Dei, et prohibere illarum usum, contra manifesta verba sacrae scripturae.

Proinde fugere mundum t), non est abstinere a rebus, sed a suis consiliis. Sic recte docuisset Hieronymus Blesillam u) suam: non contemne res, sed studia, consilia, affectus et curas tuas, quibus quaeris tuo marte tibi omnia parare. Honor et voluptas rerum non est mala, sed sollicitudo in rebus et tua consilia sunt contemnenda. Neque contemnere mundum est sordide vestiri, fatigare carnem suam vigiliis, frangere jejuniis etc., sed istis rebus uti, ut venerint. Si Dominus dederit cibum, ede; si jejunium, patere; si honores, accipe; si damnum, ferto; si conjecerit te in carcerem, sustine; si voluerit te esse regem, sequere vocantem; si dejecerit, noli curare. Sicut David aequo animo administrabat regnum et tulit exilium, verus mundi con-

r) Hieronym. s) Contemptus mundi. t) Fugere mundum. u) Blesilla.

temptor. Illi ergo sunt veri contemptores mundi v), qui suscipiunt omnia. Wie es ihnen Gott zuschickt, et utuntur omnibus rebus cum gratiarum actione, cum adsunt, et libenter carent, si Dominus adimat.

Et risum stultitiam esse sensi, et gaudio dixi: quid facis?

Omnia de consiliis intellige. C. d. Volui arte quaerere bona, quaerere voluptates et laetitiam, sed haec cogitatio erat mera insania, quae me dupliciter afflixit, quia primo ipse labor cogitandi et quaerendi, affligit cor. Deinde ubi spero me effecisse, intervenit mox aliquis luctus aut molestia, et perdo utrunque, et laborem et gaudium. Hoc est, quod dicit: risum, scilicet quem ego quaero, et gaudium, quod ego efficere conor, quid prodest? quia nunquam contingit mihi, semper aliquid molesti incidit. Optima ergo laetitia w) et jucunditas, non quaesita, sed oblata improviso a Deo, sine tuis curis et consiliis. Sic exterior laetitia est quidem bona, sed non nisi apud bene utentes. Impii autem etiamsi voluptatibus diffluant, tamen non vere laetantur, quia non agnoscunt esse dona Dei, et statim fastidiunt et alia quaerunt, nullis praesentibus contenti.

Et cogitavi in corde meo abstinere a vino, et cor meum sapienter gubernare, et comprehendere prudentiam, ut perspicerem, quid esset bonum filiis hominum facere sub coelo, per omnem vitam.

Hic jam tertio aliud instituit, experturus an hoc

---

v) Veri contemptores mundi. w) Optima laetitia. 1536: † a Domino oblata.

forte velit succedere. Quando in mundo et inter homines versanti neque sollicitudines, quibus me macero, ut aliis consulam, neque voluptates succedunt, sed irrita sunt, instituam rigidam et austeram vitam x), ut omnino abstineam et duriter vivam etc. Miror autem falsos illos mundi et creaturarum contemptores, non animadvertisse hunc locum Salomonis, ubi austerum genus vitae et rigidam severitatem vanitatem vocat. Ergo hic damnat strictissimas illas monachorum observationes y), maxime Carthusianorum, quas tamen mundus admiratur, et pro pietate et sanctimonia habet. Estque haec sententia quasi fulmen contra omnes regulas religionesque monasticas, quibus subjiciunt res sibi, suis consiliis, quae non sunt ipsorum, non quod abstinentia z) sit mala, sed eam quaerere suis consiliis, et se alligare talibus, quasi necessariis. Quia tempus, res, locus etc. sunt divina dona, quae tamen ipsi captivare volunt suis regulis et praescriptis. Caeterum nihil inde habent, nisi dolores et miseriam, dum carnem macerant, et frustra sese discruciant. Sic enim praescribunt Carthusiani a): Non est edenda caro, etiamsi sit fame moriendum. Et hoc pessimum est, quod in talibus quaerunt sanctitatem, quasi diabolus ipse non possit sic esse sanctus, qui etiam non bibit vinum, nec induitur purpura etc.

Dicit ergo: omnia quidem essent mihi bona, sive abstinere, sive edere et bibere, sed pessima fiunt, quando addo meum consilium, Deus non praescripsit locum, tempus, cibum, abstinentiam, et nos

---

x) Austera vita vanitas etc. y) Monachorum observationes. z) Abstinentia. a) Carthusianorum observantia.

stulti praescribimus: jam edam carnes, jam non edam. Ipse vero dicit: cum habes, ede, si non habes, abstine. Quare si vis esse abstinens, expecta Domini consilium; ipse enim potest te conjicere in carcerem, in famem, in infirmitatem etc. ibi esto abstinens, ibi habes regulam tibi praescriptam, non a te, sed ab ipso Deo. Jam vero tuis consiliis fingis tibi formam abstinendi contra Deum. Et egregii isti mundi contemptores, sic ubique abstinent a rebus, ut nihil uspiam illis desit, sic agunt, ne abstineant b). Summa, sicut per propriam justitiam efferuntur supra Deum, ita suis constitutionibus super creaturas.

Et cor meum sapienter gubernare.

Id est: volebam meo me consilio regere sapienter, et in abstinentia esse sapiens, ut comprehenderem prudentiam (vel stultitiam). Nam Hebraea dictio ambigua est, aliquando sapientiam aliquando stultitiam significans, sed fere stultitiam sonat, ut sit sensus: comprehenderem stultitiam, scilicet ut scirem alios monere, quid esset stultum, aut quid sapiens, comprehenderem, inquam, quo vitaretur, quia sapientiae pars est non solum nosse bona, sed et vitare mala.

Recenset autem fere catalogum suorum operum, quae exercuit, ut doceret alios. Incepi plurima tentare, quibus occupatus abstinui a vino et voluptatibus, laborando, aedificando, experientiam et sapientiam quaesivi etc., ut docerem alios, ut

---

b) Monachi ita servarunt abstinentiam, ut illis nihil deesset.

meo exemplo alii recte viverent, et sapienter abstinerent, regerent rem familiarem. Loquitur enim de sapientia humana et politica, non divina seu spirituali, qua intelligimus res, quae sunt erga Deum. Coepi ergo aedificare, plantare vineas, nihil omisi laboris et studii etc., sed ex universis his laboribus nihil quam vanitatem consecutus sum, quia me meo consilio regere volebam.

Velle autem se suo consilio regere c), vanum est, imo duplici incommodo se affligit, qui suis se consiliis regere vult, primo torquet se ipsis consiliis, secundo nihil consequitur, aut si quid consequitur, dolor intervenit et irritum facit. Sic Nero d) magnificam et regiam domum aedificat, sed non fruitur. Sic enim fere fit, ut unus aedificet, alter possideat et fruatur, quod aedificatum est, et ut habet parabola evangelica e): unus seminat, alius metit. Sic foelicis memoriae princeps noster Fridericus f) multa aedificavit, sed nunc alii possident. Respexit ille in futura, non contentus praesentibus, uno aedificato quaesivit mox aliud. Hic princeps g), qui nunc est, aedificatis non fruitur, sed alia aedificat, munit urbes, et habet plane aliud studium. Hujus successor h) alio rursus delectabitur et ipse studio.

Haec igitur est vere magna vanitas et miseria, affligi in ipso opere, cura et sollicitudine, donec perficiatur, facto autem, mori vel infirmari, vel alio impedimento privari ejus usu et bono, sed et eum,

---

c) Velle se suo consilio regere. d) Nero. 1536: Inconstantia humani animi. e) Johan. 4. f) Frid. Elector. g) Johan. Elector. h) Johan. Frid.

qui succedit, saepe facto non uti, vel etiam destruere. Sic est cursus totius vitae humanae. Deus semper pugnat cum consiliis humanis, et e contra nos contra Dei consilia. Facile autem est ipsi destruere, quicquid nos incepimus, imo tanta est vanitas cordis, ut nunquam secum consentiat, neque potest esse tam stabile, ut in re praesenti consistat et acquiescat. Tentata re et effecta per hominem, curiositas faciendi manet, adest fastidium facti, et aliud quaeritur, sicut et supra dixit i): quale est id, quod fuit etc. Talis est animus humanus k) post paratam rem, sicut ante paratam rem, ubique inconstans, inquietus. Si quis habet unum aureum, respicit et cupit decem, qui decem, cupit centum, qui centum, mille etc. Si princeps habet arcem unam commode aedificatam, vult duas, qui habet unum regnum, ambit et alterum. Summa: Alexander cupit multos mundos.

Sic quoque fit in rebus domesticis, in conjugio, in educatione liberorum; cogitas ducere uxorem, optime moratam, pudicam, commodam, bonam matremfamilias, sed potest fieri, ut contingat omnino contrariis moribus et pessima, aut ut plurima in ea desideres, etiamsi sit valde bona. Cogitas, quomodo velis instituere filios, ut fiant probi et reipublicae utiles, sed ecce praeter expectationem fient latrones vel alias perditi, et inutilia pondera terrae. Num ergo deserenda domus et cura domestica? Quia video nihil succedere meae diligentiae, nec respondere laboribus quicquam? Non. Quid ergo?

---

i) Cap. 1. k) Animus hominis.

Regenda est domus 1), instituenda familia, educandi sunt liberi, regenda uxor, sed sic, ut sine mensura et regula tua fiat, ut tuae sapientiae non confidas. Si filius tuus est appositus discendis literis, discat; si artificio, item discat, tantum ne excedas tuos limites, sed committe omnem eventum et successum Deo; alioqui duo habebis incommoda, superius dicta. Ex his nunc facile intelligentur, quae sequuntur.

Feci magna opera: aedificavi mihi domos, plantavi mihi vineas, feci mihi hortos et paradisos, arboribus omnium generum consitos. Feci mihi piscinas ad irrigandam sylvam crescentium arborum. Comparavi servos et ancillas et vernaculos. Comparavi mihi jumenta, et multos greges, prae omnibus, qui ante me fuerunt in Hierusalem. Cumulavi mihi argentum et aurum, et Gazam ex regibus et provinciis. Paravi mihi cantores et cantatrices et delicias hominum, et omnis generis organa musica. Et factus sum magnus et excellens omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem. Et sapientia perduravit mecum, et quicquid postulabant oculi mei, indulsi eis, nec fraudavi laetitia cor meum, quo minus delectaretur laboribus meis. Et hanc ratus sum partem meam esse ex laboribus meis. Et postquam contemplatus sum omnia opera,

---

1) Regenda domus.

quae manus meae fecerant, et labores, quos exhauseram; ecce omnia erant vana et afflictio spiritus, nec quicquam amplius sub sole.

Recitat hic, ut dixi, Salomon catalogum suorum operum, quae fecerat pro paranda laetitia ac voluptate, proque recte administranda re familiari. Sunt autem ex praedictis facilia.

Feci magna opera.

Quod noster interpres, magnificavi, id est, feci egregia et magna opera, de quibus legis 3. Reg. 3 et 7 etc. m). Quem vero fructum inde habui? nullum, nisi laborem, alii fructum et utilitatem.

Paradisos n) vel hortos voluptatis. Hebraea vox significat: Lustgarten, da man schöne Wurzgarten machet von Blumen und den edelsten Würzen. Vernaculos, id est, servos domi natos. Liberi enim servorum, qui dominati erant, vernacula dicebantur, perpetuoque serviebant domino, cujus servus erat pater eorum, sive emptitius sive quacunque occasione in servitutem venerat.

Comparavi servos et ancillas.

Id est, fui egregius oeconomus et paterfamilias, volui rem familiarem meo consilio regere. Feci substantiam, seu Gazam. Quicquid (inquit) erat ornamentorum et pretiosarum rerum in aliis regionibus, hoc mihi cumulavi, ad pompam regni, ut solent magni et opulenti reges.

---

m) 3. Reg. 3, 7. n) Paradisus (1536).

Curavi mihi cantores et cantatrices et delicias hominum etc.

Hic grammatica lis est, quid sit Schida o) et Schidoth. Ego reddidi: Tänzer und Tänzerin, sed non placet. Sequor eos interim, qui putant instrumenta esse musica, idque propter praecedentia, ubi sic scribit: paravi mihi cantores et canthatrices, et delectamenta seu delicias filiorum hominum, nempe, instrumenta musica. Duplicat autem vocem Schida Veschidoth, quod forte velit mutuum illum concentum, et alternas vices in musicis significare. Eram magnus etc. Id est: haec omnia erant aptissime comparata et disposita. Deinde: Et sapientia mecum perduravit. Sapientiam intelligit non illam speculatricem, sed vitae et rerum omnium gubernandarum, ubi etiam includitur sapientia divina. Fatetur se habuisse non solum omnium rerum abundantiam, sed etiam cum hac sapientiam quoque omnia illa rite administrandi, gerendi et regendi, quod est maximum donum Dei, sed non habebat successum, quia suo consilio omnia succedere volebat, quae prudenter ordinasset etc. cum tamen omnium hominum in terra vox sit: Es gehet nicht recht zu p). Quia vident multa prudenter definiri et statui, et tamen non habere successum etc. Maxima ergo sapientiae pars est, scire hoc ipsum, quod successus non sequatur, nisi suo tempore, et res regi neque consilio sapientum, neque temeritate stultorum.

---

o) Schida. p) Es gehet nicht ꝛc.

Quicquid postulabant oculi mei, indulsi eis etc.

Id est: adhuc latius me effudi, et volui frui omnibus istis bonis paratis, sed non sinebatur. Hanc mihi in vita portionem esse volui, sed Deus non patitur, ut regam has voluptates meo consilio, semper obstitit pluribus impedimentis. Cum volui frui meis deliciis, meis hortis, avocabant negotia regni, dicendum erat jus, componendae ac dirimendae lites etc. Sic non potui regere laetitiam meo consilio. Idem contingit nostris principibus, ut cum proponant sese velle oblectare, indicat negotium triste et quod gaudium interturbet, et illos moerore conficiat. Ita Deus semper agit; ut nostra consilia et praescriptas regulas impediat, satis quidem dat ad usum et laetitiam, sed simul vult, nos suas res habere et servare puras et synceras in sua libertate q).

Ecce omnia erant vana et afflictio spiritus.

Nonne est maxima vanitas: regem, qui habet tantum opum, et tam omnibus rebus abundat, non tamen vel una aliqua re, ex tam infinitis, secundum sua consilia frui posse? Et si quibus fruitur, raptim fruitur. Adeo non possumus res nostro consilio regere et gubernare, aut comprehendere. Fruatur ergo quisque rebus praesentibus libere r), sicut Deus dederit, sinat afferri vel auferri [30]), ire, redire,

q) 1. Tim. 6. r) Praesentibus rebus fruendum.
30) „vel auferri" deest.

pro Domini voluntate, wenn es gut ist, cogitet, es kan wohl bos werden; et e contra, ne scilicet voluptatibus diffluat et immergatur, quemadmodum impii etc. Et nihil reliquum sub sole. De suis consiliis nihil habet, nisi aerumnam et miseriam. Res quidem sunt bonae, sed studia nostra sunt vana, qui praescribimus illis regulas, sive utendi modum, cum illae non sinant se a nobis regulari.

Converti me ad perspiciendam sapientiam et stultitiam et temeritatem. Quis enim homo potest imitari regem, qui eum ante fecit? Et vidi, quod sapientia sic excellit stultitiam, ut lux tenebras. Et quod sapiens habet oculos in capite, at stultus in tenebris ambulat. Et agnovi, quod eventus iidem sint utrorumque.

Alia experientia probat omnia esse vana, conatus, inquam, et consilia humana. Quemadmodum (inquit) mihi contigit, sic vidi aliis quoque contingere. Consilia mea et ipsa etiam sapientia vana et irrita fuit, non habuit hunc successum, quem ego volebam. Idem animadverti in aliis quoque, spectavi aliorum sapientiam et stultitiam, ipsaque inter sese contuli. Vidi quosdam sapientissime se gerere, et multa prudenter conari. Vidi item stultos temerarios, sine consiliis agentes, quorum tamen temeritas et stultitia aliquando fortunata fuit et successum habuit, ubi sapientum consilia prorsus irrita fuerunt s), et infortunatissimi ipsi sapientes,

---

s) Humana consilia fallunt.

adeo ut haec temeritas meruerit proverbium: Audaces fortuna juvat t).

Cicero u) et Demosthenes v) erant sapientissimi homines, qui praeclare constituerunt respublicas, descripserunt leges, putabant etiam fore, ut responderent eventus et successus, sed in diversum abiit, adeo, ut sic alter de se clamet: O me nunquam sapientem, et aliquando id quod non erat frustra existimatum, quantum te, P. Romane, de me fefellit opinio etc. Alter vero senio confectus et fractus laboribus, dixit, se magis optare mortem, quam redire ad rempublicam, expertus et ipse res non geri consiliis prudentium, etiam bonis. Contra Julius w) et Octavius x) Caesares, non semper sapientia [31]), sed saepe audacia consilia sequuti, multo fuerunt fortunatiores. Philippus Macedo y) agit contra consilia Demosthenis, et ipse magis fortunatus quam prudens.

Consilia certe erant bona, verum illa sic urgere z), certum successum definire, vanum est. Non enim volunt res humanis consiliis capi. Summa, res non geritur, neque per sapientiam sapientum neque temeritate stultorum, ut infatuentur sapientum consilia, ne gloriemur de nobis ipsis. Sic in bello non statim contingit victoria, etiamsi sit instructissimus exercitus, et omnia sapientissime excogitata, sicut superioribus annis sperabatur certa victoria a Gallo de Caesare, sed contrarium accidit.

---

t) Audaces fortuna juvat. u) Cicero. v) Demosthenes. w) Julius. x) Octavius. y) Philip. Macedo. z) Consilia bona urgere vanum (1536).

31) Mscr. sapienta.

Dicit ergo: Vides stultis tam succedere quam sapientibus, ut non appareat ullum discrimen inter sapientem et temerarium, quod ad successum attinet, imo ut appareat, non esse Deum, qui res tam temere geri sinat. Sed respondet Salomon: Non, sed maxime excellit sapientia stultitiam, verum est quidem sapientiam humanam non efficere res, sed Deus ipse efficit. Deus quidem potest efficere sua sapientia quae vult, sed homo non efficit. Habet enim Deus non solum sapientiam, sed etiam vim efficiendi, ut ea, quae dictavit, succedant, hoc homo non potest. Breviter: Dei consilium non fallitur, sed hominum sive sapientum consilia falluntur. Recte ergo dicit:

Et vidi, quod sapientia sic excellit stultitiam, ut lux tenebras.

Est quidem bona sapientia, sed tamen [32]) desunt vires, non potest efficere res et regere eventus.

Sapiens habet oculos in capite, at stultus etc.

Video quidem, quod idem accidat utrisque. Sapientia fallit, [33]) et temeritas, nihilominus sapientia excellit stultitiam. Oculos habere in capite a), hebraismus est, quem nos germanice et vulgo sic exprimimus: Wer auf dem Schach will spielen, der soll die Augen nicht in Beutel stecken, quo significamus, eum non modo oportere ejus ludi esse gnarum, sed etiam vigilem et diligentem lusorem. Sic

---

a) Oculos habere in capite.

32) † quia. 33) † fallit (1532).

et hic dicit: Sapiens b) habet oculos in capite. Id est: non solum sunt prudentes rerum administratores, sed etiam circumspecti, diligentes, et qui invigilant rebus. Et vident quidem quomodo res sint administrandae, sed non possunt praestare eventum. Stultus c) vero non habet oculos in fronte, quia temeritate et audacia fertur. Caeterum casu et fortuna (id est, Deo regente eventum) utrinque res geritur, et nec consilio nec temeritate nostra. Utrique aliquando cadunt, aliquando prosperantur, sed Deus non vult, ut inde fiant regulae. Creaturae enim non sunt in manu nostra, sed Dei, qui dat quidem earum usum, et per nos facit quae vult. Quod vero nos addimus, et usum illum nostris consiliis et conatibus regere volumus, frustra est. Erudit ergo nos, ne fidamus nostrae sapientiae et consiliis, sed agamus quod obtulerit, si non successerit, committamus Deo.

Quis enim homo potest imitari regem, qui eum ante fecit?

Hic pulchra et commoda periphrasi describit Deum, q. d. Deus est rex noster d). Non solum fecit nos, sed et continuo regit, ut nobis ad illius voluntatem cuncta eveniant. Ipse solus pertingit a principio ad finem, et non potest illius consilium et voluntas a quoquam impediri. Ideo maluit Salomon regem vocare quam Deum. Alii habent sapientiam, alii temeritatem, sed nemo potest imitari regem suum, nemo facere, quod ille facit. Quod

---

b) Sapiens. c) Stultus. d) Deus rex noster (1536).

enim ille praescribit, fit, successum habet illius voluntas et consilium.

Et fecit nos ante, scilicet, quam essemus.

Similis phrasis est apud Paulum. Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Sicut ergo iste rex imperat et regnat, ita eveniunt omnia e). Per hoc ergo indicat, consilia nostra nihil esse, quia sumus facti, non sumus rex f). Non vult Deus [34]) nos et creaturas suas regi a nobis, sed contra, alioqui nos essemus reges Dei. Nihil geritur nostra sapientia vel temeritate, quin multi incurrunt mala per temeritatem, plures per sapientiam, ut sapientissimi quique, Dio, Cicero, Brutus, Demosthenes, etc. Quia Deus irrita facit et ludit humana consilia et studia, ut ubique provocet nos ad timorem suum, ut discamus illi concedere gubernandi leges, et nihil ipsi praescribere.

Et cognovi, quod eventus iidem sunt utrorumque.

Id est: Vidi quod utriusque eadem esset fortuna, quod tam nihil efficit prudens, quam nihil efficit temerarius, nec temeritate nec sapientia res geri posse, etiamsi sinat utroque modo geri Deus, sed regula nulla fit. Nam si valeret nostrum consilium, semper esset [35]) prosperum, si obesset temeritas, nunquam debebat esse prospera. Marius g), Antonius h) et alii similes plus effecerunt sua te-

---

e) Rom. 11. f) Homines non sunt reges Dei. g) Marius. 1536: Temeritas interdum foelix. h) Antonius.

34) Deos. 35) esse.

meritate, quam Cicero sapientia [36]) effecisset. Et nusquam melius est [37]) cernere temeritatis et sapientiae humanae exempla, quam apud Romanos et gentes. Nam apud Judaeos bella plerumque gesta sunt jubentibus prophetis, et ex verbo Dei.

Et dixi in corde meo: Si stulto evenit idem, quod mihi, cur sapienter agere studui? Et dixi in corde meo, et hoc vanum esse.

Et haec eo spectant, ut abstineamus a fiducia nostrorum consiliorum. Ego, inquit, sapientissime administravi meum regnum, nec tamen successit, ut volui. E contra, habui praefectum, qui non ita prudenter rexit, cui tamen successit. Cum igitur videam stultos fere aut parem aut meliorem successum habere, cur igitur sapienter agere studui? Id est: cur confido meis consiliis, et meae sapientiae, labori dolorem addendo.

Sed et hoc vanum esse dixi in corde meo.

Experientia didici, neque in consiliis nec temeritate fidendum. Supra enim ostensum est, sapientiam excellere stultitiam, etiamsi res neque stultitia neque sapientia gerantur. Media ergo via incedendum est, res commendandae regi qui fecit nos [i]); si quam ille obtulerit occasionem, utamur; si quid dederit, accipiamus; si aufert, patiamur etc. Quod facere potes, fac; quod non potes, sine. Was du nicht kannst heben, das laß liegen. Sic prodest sa-

---

i) Sapientia vera, rem Deo committere (1536).

36) † sua. 37) „est" deest.

pientia, si faciam, quod noverim Deo placere, et ipsi committam, quid velit per me effici. Haec si faceremus, tum demum essemus vere sapientes.

Non enim est recordatio sapientis in posterum sicut nec stulti. Nam futura tempora omnia oblivione obruent.

Et hoc quod sapiens suo consilio gessit et constituit, et quod stultus sua temeritate, sive bene sive male successit, oblivioni tradetur. Quia neque illi ipsi neque alii inde meliores fiunt, ut omnia committant Deo, sed posteri sequuntur sua consilia, nec sunt contenti majorum ordinationibus, sed nova quaerunt; quod habent, fastidiunt; quod non habent, quaerunt k). Talia somniamus, si successit ante, succedet rursum, si non successit, jam succedet. Nos agemus sapientius illis etc.

Vide Romanam rempublicam, ut semper consules et caesares posteriores revocarint facta priorum, praesentia et praeterita fastidientes, futura spectantes. Quid est ergo, quod multis curis te affligis, quasi posteri tua probaturi sint, aut idem sensuri? Non fiet, quia quod habetur, quasi inutile fastiditur etc. Ideo impossibile, ut res seu constitutiones maneant in eadem aestimatione apud posteros, in qua erant apud priores.

Lycurgus l) putabat se dedisse Lacedaemonibus leges, quas servarent donec ipse reverteretur, hoc est, sempiternas. Quo consilio ille abibat, nunquam reversurus, futurum sperans, ut hoc modo suae leges fierent perpetuae. - Sed nihil effecit.

---

k) Praesentia fastidiuntur, futura spectantur. l) Lycurgus.

Augustus m) dicebat se jecisse ea fundamenta reipublicae, ut speraret semper staturam esse, sed posteri statim omnia everterunt. Neronis mortem populus Romanus optabat n), meliorem rempublicam futuram cogitans, sed postea nihilo melius habuit respublica. Salomon o) ita gubernabat regnum, ut speraretur perpetuum fore, et statim a morte ejus dividitur. Nam Roboam p), qui Salomoni succedebat, non contentus prudenti reipublicae administratione patris, perdidit omnia, et regnum est scissum in duas partes.

Atque haec non tantum fiunt in externis et politicis, ubi est tolerabilior ista stultitia, quia solum rerum corporalium jacturam facit, sed etiam in religione et verbo Dei, ubi semper posteri neglecta puritate doctrinae a patribus traditae nova quaerunt, sicut etiam faciunt, qui nunc vulgato evangelio, non contenti puritate fidei seu doctrina evangelii, novas instituunt disputationes de sacramentis, quae cum inveteraverit, novae sectae exoriuntur sine fine. Neque enim potest caro contenta esse una simplici et vera doctrina q).

Intellige vero Salomonem non de personis loqui, sed de iis, quae homines agunt, sive sapientes, sive stulti, quod illa negligantur. Durat quidem in libris hominum memoria, sed non in ordinatione reipublicae, et referuntur quidem res gestae in annales, sed nemo observat aut curat, et posteri non commoventur exemplis superiorum, nova semper moliuntur. Quod adest, fastiditur; quod non adest,

m) Augustus. n) Neronis mors optata. o) Salomo. p) Roboam (1536). q) Curiositas carnis (1536).

quaeritur, et tamen nihil est novum. Cum enim adest, jam vetus est, non placet, aliud quaeritur. Summa, posse esse contentum praesentibus r), simpliciter donum est Spiritus sancti, impossibile vero carni, quae semper de praesentibus movetur in futura, et cum illa sequitur, haec amittit, ac utriusque usu sese privat. Avaro tam deest s) quod habet, quam quod non habet. Quod autem contingit avaro in pecunia, hoc universo generi humano in voluptatibus et consiliis etc. hoc est, nihil habent, etiamsi omnia habeant. Exemplo sit Alexander Magnus t), cujus animus post totam Asiam devictam non saturatur. Si haec in externis vera sunt, quid mirum de evangelio? quod jam habentes, non habemus, quia non afficimur eo, sed aliud volumus. E contra, Christiani omnia habent, etiam nihil habentes.

Et sapiens moritur perinde ut stultus.

Similis sententia est Psal. 49 cum viderit sapientes morientes, simul stultus et insipiens peribunt, et relinquent alienis divitias suas. Est vero et hoc de rebus gestis intelligendum. Sapiens moritur cum rebus suis gestis, sicut stultus. Non observantur, quae illi bene ordinarunt. Et si omnia optime feceris, praemium accipis, quod fastidiuntur omnia tua, aut etiam afficiaris exilio, morte etc. Imo multi contemnunt etiam et rescindunt.

r) Contentum esse praesentibus. 1536: † donum Dei est. s) Avaro tam deest etc. t) Alex. Mag.

Itaque pertaesum est me vitae, quia mala esse videbam ea, quae fiunt sub sole. Omnia enim sunt vana et afflictio spiritus.

Id est: displicuit mihi valde, quicquid ageretur sub sole, cum nihil aliud esset, quam vanus labor, et frustra cruciaret. Non quod optet Salomon mortem, sed quod in istis rebus versari, miseriam et calamitosum esse ducat. V. d.: Ich wards müde und überdrüssig. Quis enim potest ferre, nihil nisi laborem habere in constituendo, et contemptum in constituto seu facto. Vivere u) seu vita, phrasi scripturae significat bene vivere: Im Sauße leben. Psalm. 22 v): Et animam suam non vivificabant, id est, quorum anima non bene vivebat: Die übel und hartselig leben, ut pauperes, oppressi et alioqui destinati ad mortem et miseri. Hi dicuntur in scripturis, non viventes. Ergo non dicit se appetere mortem, sed displicet ei iste cultus vitae, qui consiliis humanis fatigat et affligit.

Vult ergo Salomon nos debere stare paratos ad mortem et ad vitam, et revocat nos in praesentem usum rerum, ut simus illis contenti, sine sollicitudine futurorum, et committamus omnia Deo, qui vult quidem per nos operari, sed quasi nobis ignorantibus. Quemadmodum bos triturans ac comedens nescit quid agat, nec est sollicitus pro victu aut successu laboris. Sic et nos facere debemus, quod Dominus obtulerit, perferre, quod ille voluerit. Omnia tamen ista sint quasi frustillum panis, quem in terris habemus, ne spectemus cul-

---

u) Vivere. v) Psal. 22.

tum hujus vitae nostris studiis, alias erit perpetua inquietudo, ut sequitur.

Et pertaesum est me universi laboris mei, quem sub sóle feci, quippe quem relinquam homini, qui erit post me, qui sapiens ne an stultus futurus sit nescio. Is dominabitur in omnibus laboribus meis.

Prorsus eadem sententia cum superiore. Abundat enim verbis, et copiose tractat hunc locum Salomon. Sic inquit: Taedet me vitae; nam etiamsi res meas omnes optime constitui et administravi, tamen ignoro sapientem ne an stultum haeredem habiturus sim; si sapientem, fastidiet et aliud quaeret, cum ego ipse mea fastidiam et nova subinde cupiam w); si temerarium, destruet, et habebit eundem laborem in perdendo, quem ego in constituendo, juxta proverbium: Unus aedificans x), alter destruens etc. Sic Octavius y) Caesar ornavit urbem, Nero z) vastavit. Pompejus a) ingentem pecuniae vim in aerarium publicum collegerat, consulturus reipublicae, quam postea Caesar b) compilavit, fuitque magis exitio reipublicae ea pecunia, quam saluti. Sive ergo sapiens sive stultus fuerit haeres, frustra laboravi, et vitam meam perdidi inanibus curis, cum volui prospicere futuris, non usus praesentibus. Ideo subjicit:

Et converti me, ut deponerem ex corde meo curam de labore meo, quem laboro sub sole. Nam homo cum laborarit cum

---

w) Aliena fastidiuntur, nova appetuntur. x) Unus aedificans. y) Octavius. z) Nero. a) Pompejus. b) Caesar. 1536: Pecunia fisci.

sapientia, scientia et industria, relinquit partem suam homini, qui non laboravit in ea constituenda. Id quoque vanum est et magnum malum. Quid enim proderit suus homini labor, et afflictio cordis sui, quo laborat sub sole? Omnes dies ejus dolores et indignatio et molestia sunt. Cor ejus nec noctu quiescit. Id vero vanum est.

Cessavi, inquit, ut abstinerem ab omni cura negotiorum, quae fiunt sub sole. Haec vox est sapientis, qui revocat cor suum ad pacem a curis. Ero contentus praesentibus, et in praesens faciam, et feram quod Deus vult, nec curabo de crastino. Ista est conclusio, quam postea magna copia confirmat, dicens:

Nam homo cum laborarit in sapientia, scientia et industria etc.

Vides hic quid intelligat per sapientiam c), videlicet non illam speculatricem, sed administrandarum rerum, industriam d) vero seu congruentiam, Geschicklichkeit, quod omnia ordine et tempore constituuntur, sicut ipse constituit duodecim duces in terra, certum victum, equos etc. Hoc, inquam, vocat laborare in sua sapientia. Hunc autem laborem seu partem relinquit homini, qui non laboravit in eo tempore [38]), imo, quod infoelicius est, homini, qui illud negligit et tradit oblivioni. Cum multum,

---

c) Sapientia. d) Industria.
38) opere (1532).

inquit, laboro, relinquo haec vel contemptori vel direptori, quod certe est vanissimum.

Quid enim homini proderit labor suus? etc.

Copia est.

Nec noctu.

Cor suum etiam nocte non quiescit, dum sic laborat, ut non solum per diem rem egregie efficiat et stabiliat, sed etiam noctu, quando perfecit, quomodo conservet et augeat.

Nonne igitur melius est homini comedere et bibere, et exhilarare animam suam in labore suo? Verum id vidi de manu Dei esse.

Haec est conclusio principalis, imo consilium totius libri, quod saepe repetet. Estque hic locus insignis, qui exponit omnia praecedentia et sequentia, sic vero consentit cum praecedentibus, istae voluptates sunt damnandae, quas nostris consiliis paramus in futurum. Isti item labores sunt damnandi, quos nostris consiliis conamur efficere. Istae vero voluptates et labores, quos Deus dat, boni sunt, illisque utendum in praesens, sine sollicitudine de futuris, vel afflictionibus vel voluptatibus. Sed quis hoc potest? Recte quidem dicitur, sed non fit, quod sapienter proponitur, imo audientes non audimus, videntes non videmus, et nemo sequitur; sumus enim immersi studiis et curis parandi et efficiendi res nostras. Cor est consiliis aversum, et quotidie magis et magis irritatur et inquietatur. Qui sunt pii, abstinent a curis; reliquum hominum genus habet vitam inquietam, donec moriantur. Dicit ergo:

Verum id vidi de manu Dei esse.

Notabilis sententia, ac egregia doctrina, sed hanc minus urget, quam superiorem, quod ideo fit, quia affirmativa non adeo afficit, ut negativa, quemadmodum et illa affirmativa: Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Statim quidem dicitur, sed non afficit nos. In negativa vero major vis est e). Non habebis Deos alienos coram me etc. Sic et hic affirmativam hanc: bonum est homini comedere etc. paucis tractat, sed in negativa multus est, ut arguat et ostendat nobis nostram stultitiam, scilicet, quod nihil efficimus universis nostris consiliis et laboribus, qui curis distrahimur, et praesentibus non utimur, ita crassis istis oportet loquatur crassis et multis verbis atque exemplis; nam sapientibus totum uno verbo diceretur: Dominus ipse est Deus tuus etc.

Nam quis plus comedit et plura foris gessit quam ego?

Allegat suam experientiam: Nam si ego, qui multas res gessi, et abundavi omnibus bonis, tamen non sum consequutus, quod volui, quando minus alii? si Deus non det laetitiam.

Deus homini, qui placet ei, dat sapientiam et scientiam et laetitiam. At peccatori dat molestiam, ut augeat et congreget, et detur ei, qui Deo placet. Quare et hoc vanum est et afflictio spiritus.

Quod hoc sit donum Dei, posse esse contentum

e) Negativa magis urget quam affirmativa.

praesentibus, probat. Quia datur nullis praecedentibus meritis homini, qui Deo placet. Dividit autem mundum in pios et impios. Piis praeter dona aliis communia, maxime sapientiam et prudentiam, additur etiam laetitia, quia sunt praesentibus contenti, non vexantur cogitationibus et cupiditatibus, ut impii. Quod cognoscunt et sapientes sunt in administrandis rebus etc. in laetitia et pace cognoscunt. Impii vero habent afflictionem, ut semper plura addant et congregent f) et nunquam expleantur. Deinde etiamsi habent sapientiam ac industriam, tamen sic molestiis mixtam, ut magis sint eis poenae, ut suis laboribus non fruantur, ut colant, aedificent, alii vero fruantur, et gaudium ex illis percipiant. Quae impii laborant et aedificant, nemo recte utitur, nisi soli pii. Sic quae principes congregant, piorum sunt, quia illi soli utuntur cum gratiarum actione et laetitia, etiamsi pauxillum habeant. Impii vero [39]) habent, nec tamen utuntur, cum magna cura et molestia. Summa: pii vere habent orbem terrarum g), quia fruuntur cum laetitia et tranquillitate. Impii vero etiam habentes non habent. Ista est vanitas, quam habent impii.

Caput tertium.

Singulis suum est tempus, et suum est tempus cuique proposito sub coelo.

Et hic Salomon, ut et ante dictum est, loquitur de operibus humanis, id est, humano consilio insti-

---

f) Impii piis congregant opes et aedificant (1536).
g) Pii possident orbem terrarum.
39) vere.

tutis. Id non observantes interpretes putant eum hic dicere de corruptione rerum creatarum. Sic ergo intellige, omnia humana opera et studia habere certum et definitum tempus agendi, incipiendi et finiendi, extra facultatem humanam, ut sit dictum contra liberum arbitrium h), quod nostrum non sit, tempus, modum et effectum praescribere rebus agendis, planeque hic falli studia et conatus nostros, sed tunc omnia ire aut venire, quando Deus statuit. Id vero probat exemplis humanorum operum, quorum sunt sua tempora extra electionem humanam, ut inde concludat, frustra torqueri homines suis studiis, nec efficere quicquam, etiamsi rumpantur, nisi venerit suum tempus et hora illa a Deo definita. Huc pertinet, quod est in evangelio i): Nondum venit hora ejus. Item: Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. Sic divina potentia omnia comprehendit certis horis, ut non possint a quoquam impediri.

Sed dices: Quomodo ergo homo constitutus est rerum dominus k), Gene. 2. si non potest illas secundum suam voluntatem regere, et pro suo voto uti? Responde [40]): Sic sumus constituti rerum domini, ut possimus eis uti in praesens, sed non possumus eas nostris curis et studiis regere. Nemo potest aliquid suis studiis efficere in posterum. Qui enim futurorum incertus est, quomodo de futuris constituere poterit? Vult ergo Deus nos uti creaturis, sed libere, utut ille obtulerit, sine tem-

h) Lib. arb. 1536: † tollitur. i) Johan. 7. 16.
k) Homo rerum dominus etc.
40) Respondeo.

pore, sine modo et hora a nobis praescriptis. Haec enim sunt in manu Domini, ut non putemus in manu nostra esse, uti rebus, quando velimus, si ille non det. Hinc dicit Ecclesiasticus [41]) l): reliquit hominem in manu consilii sui, sed addidit praecepta, secundum quae sua consilia et actiones regat etc.

Omnia tempus habent.

Id est, definitam horam. Quam si egrediatur homo, et velit omnia efficere suis consiliis et studiis, nihil habebit inde quam vanitatem. Multi laborant, ut ditescant, sed nihil proficiunt. Alii vero ditescunt etiam sine labore, quia Deus dedit horam, illis non dedit.

Et omne propositum etc.

Hebraice Hephetz, quod fere transfertur, studium vel beneplacitum. Videtur etiam mihi voluntas non inepte transferri, sicut Psalm. 1. m): in lege Domini voluntas ejus. Significat enim Hephetz n), damit einer umgehet und Lust zu hat, desiderium illud implendae legis. Sic hic quoque: omnia quae desiderant homines et cupiunt, student quidem et volunt, sed macerantur tantum, quia non contingunt ipsam horam, quam praeoccupant, ideo nihil consequuntur. Simpliciter ergo res committendae Deo, ac utendum praesentibus o), abstinendum a concupiscentia futurorum. Quod si aliter feceris, nihil habebis praeter afflictionem.

l) Eccle. 15. Syrach. m) Psal. 1. n) Hephetz.
o) Praesentibus utendum (1536).

41) Syrach. †: Deus (1532).

Tempus est nascendi, et tempus moriendi.

Probat exemplis, quod dixerat, rerum et studiorum humanorum. Partus, inquit, habet suum tempus, mors item suum. Et sicut in manu nostra non habemus nativitates nostras, sic nec mortes, et tamen nihil magis nostrum, quam vita et singula membra, ad utendum scilicet verum dominium non est datum, ne uno momento quidem frustra igitur tentamus illa definire legibus. Infans in manu Dei est, nec ante nascitur, quam ubi venerit nascendi hora. Laborant et sollicitae sunt mulieres circa infantis nativitatem, et praedicunt tempus, sed nihil est certi. Sic nec morimur, quamvis in summo periculo et extrema desperatione, nisi sua hora. Quid igitur timemus mortem? Non potes vivere diutius quam Dominus praescripsit, nec citius mori. Sic enim et Hiob inquit. 14. p): definitum tempus suum habet homo, et numerus mensium ejus apud te est, terminum ei statuisti, quem non transibit q).

Sed inquis r): Multi sua sponte et temeritate pereunt, alioqui diutius victuri, aliqui vivos se praecipitarunt etc. An non potuerunt vitam servare? Respondeo: Non, Deus dedit illam horam, et etiam illa media, et id genus mortis. Quod et experientia docet. Quidam accipiunt loetalia vulnera, et facile sanantur ac vivunt, alii vix leviter laesi, moriuntur tamen. Astrologi s) asscribunt haec astris, alii fortunae. At divina scriptura Deo hoc tribuit, apud quem sunt vitae et mortis nostrae momenta posita,

p) Job. 14. q) Nascendi hora definita. Moriendi hora definita. r) Objectio. s) Astrologi.

apud quem non refert, magno an parvo vulnere pereas, ut confundat omnem sapientiam et consilia humana. Ac Christianis est haec magna consolatio, ut sciant mortem non esse in tyrannorum vi nec ullius creaturae manu positam, neve anxii sint multum de morte, sed velut pueri moriantur, quando Domino placuerit. Proinde sicut de nascendi et moriendi tempore dictum est, sic dicendum est de omnibus aliis humanis operibus, ut sequitur.

Tempus plantandi, et tempus eradicandi.

Haec sunt opera vitae humanae, sed tam non in manu nostra, quam ipsa vita. In vere fit plantatio, in autumno eradicatio. Omnia sicut Deus dat et ordinat, nec a nobis possunt aliter fieri.

Tempus occidendi, et tempus sanandi.
Tempus diruendi, et tempus aedificandi.
Tempus flendi, et tempus ridendi.
Tempus lamentandi, et tempus saltandi.
Tempus projiciendi lapides, et tempus colligendi.
Tempus amplexandi, et tempus fugiendi amplexus.
Tempus quaerendi, et tempus perdendi.
Tempus servandi, et tempus perdendi.
Tempus scindendi, et tempus consuendi.
Tempus tacendi, et tempus loquendi.
Tempus amandi, et tempus odii.
Tempus belli, et tempus pacis.

Ad istum catalogum pertinet experientia, ut applicetur ad omnem cursum vitae, sic enim fit, ut alius seminet, alius metat, unus acquirat, alius di-

lapidet. Summa, singulis humanae vitae operibus est suum definitum tempus, extra quod, quicquid feceris, nihil promoveris, et frustra feceris t). Est tempus flendi, est tempus ridendi; saepe fit, ut cum volumus esse laetissimi, oriatur subita turbatio. Habet ergo laetitia suam horam. Experientia haec omnia probat, nos nihil posse efficere nostris consiliis, sed sua hora offerri facienda. Ideo non cruciemur futuris, sed praesentibus fruamur.

Quid plus efficit faciens, quantumvis laboret?

Id est, nisi tempus sive καιρὸς adsit, nihil efficit. Factor nihil aliud habet, quam horam suam. Haec cum non venit, nihil potest efficere. Trifft aber das Stündlin, so trifft ers auch.

Vidi afflictionem, quam dedit Deus in corda hominum, ut affligerentur in ea.

Declaratio est omnium praecedentium. In iis, inquit, omnibus operibus vidi homines non [42]) posse [43]) sese quicquam efficere, nisi sua hora adsit. Qui vero volunt suam horam praevenire, habent afflictionem, curam et sollicitudines, ut sic sua experientia doceantur, et abstineant a curis [44]) futurorum, praesentibus utentes.

Nam omnia quae facit (Deus) pulchra sunt, suo quaeque tempore.

Haec jam est altera pars. Illi qui non expectant horam, affliguntur. Rursus qui expectant, de-

t) Tempus definitum omnibus humanis operibus.
42) nos. 43) † per (1532). 44) „curis“ deest.

lectantur. Omne enim quod facit Deus, et quod fit Deo datore sua hora, jucundum est, hoc est, quando cor est vacuum curis; et tamen illi res aliqua commode obvenit, vel occurrit aliquod spectaculum etc. hoc valde delectat. Habent ergo isti voluptatem, ubi alii afflictionem, quia suo tempore faciunt, divinitus oblato.

Et mundum dedit in cor eorum, verum non deprehendit homo opus, quod facit Deus, ab initio ad finem.

Confirmatio est praecedentium. Quanquam, inquit, Deus dedit mundum in cor hominum, non tamen possunt eum suis consiliis regere. Est autem Hebraismus, in cor dare u) vel loqui, pro dulciter et blande dare vel loqui. Vult dicere: Deus non solum dat mundum in manum hominum v), ut possint praesentibus uti, verum etiam in corda eorum, ut possint jucunde et eum voluptate uti, daß sie Freud und Lust davon haben w). Et tamen non potest homo scire, quando est initium vel finis operis, quando aut quamdiu sit habiturus. Sit ergo homo contentus, quod habet mundum in suo usu. Simili phrasi loquitur Paulus Acto. 14. x): Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda eorum; et alibi y): Qui administrat omnia copiose. Hanc laetitiam Christianus habet, et unusquisque haberet, si posset contentus esse praesentibus. Recte D. Hieronymus dicit in

---

u) Dare in cor (1536). v) Mundus in corda hominum datus. w) Gene. 2. x) Act. 14. y) 1. Tim. 6.

prologo Bibliae: Credenti totus mundus divitiarum est, infidelis autem etiam obolo indiget, juxta proverbium: Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet.

Verum non deprehendit vel invenit homo opus etc.

Id est: homo non potest scire, etiamsi se discruciét, quando velit Deus benefacere, quando incipere, quando cessare. Sicut nemo potest investigare aut dicere horam, qua aliquis nasciturus, victurus aut moriturus est, utcunque laboret. Dicendum ergo: Domine, tuum est dare futura, interim ego fruar praesenti et jam abs te donata vita. Sic non sunt in hominis potestate reliquae actiones vitae, quarum catalogum jam posuit. Si enim hoc esset in hominum manibus positum, multi semper bellarent, alii semper luderent, aedificarent etc. Quia multi in hoc laborant, universus ergo mundus noster est, tantum non praescribamus Deo tempus et modum utendi. Nolo tuis consiliis, inquit Deus, mensurari, alioqui omnia tua erunt, et ego ipse quoque. Concludit ergo ut in praecedenti capite:

Et agnovi, quod non est in eis melius, nisi laetari et oblectare vitam suam, et comedere et bibere et exhilarari labore suo, omni homini. Hoc donum Dei est.

Haec ex superioribus satis intelliguntur. Vult enim dicere: nihil est melius homini in tam calamitosis negotiis, quam frui praesentibus, ac laeto et jucundo animo esse sine sollicitudine et cura futurorum. Verum istud posse facere, donum Dei

est, ego possum docere, inquit, sed facere aut dare, ut fiat, non possum. Ostendit simul quid faciendum, et docet, ubi accipiendum sit. Docet nostras curas tantum affligere, sed monet Deum invocandum, qui amoveat has curas, et det successum et pacem cordis.

Et agnovi, quod quicquid facit Deus hoc durat, et illi nihil addi potest nec detrahi. Deus enim facit, ut timeatur.

Id est: vidi quod omnia, quae facit Deus, perstant perpetuo. Nostra vero opera sunt incerta et vana. Estque observanda antithesis. Solus, inquit, Deus potest sua consilia perficere, et certa hora limitare. Cui ille dedit hoc donum fruendi in praesens, is habet. Ipse est fidelis et certus. Quod ille dat, nemo aufert. Si ille dat vitam, nemo eripit, etiamsi insaniat mundus et Satan, quia ille est certus et perpetuus. Si dat bonos oculos, retinebo, etiamsi Satan universum terrae pulverem inspergat. Si sana et robusta brachia aut crura, nemo auferet etc. Nostra opera omnia habent suam horam, hanc nos non facimus. Quis ergo? Deus ipse efficit hanc horam, non fortuna seu fatum z), ut philosophi putant. Quando ille permittit horam qui fecit, tum venit.

Quare ergo sic affligit homines ista vana cogitatione, sibi servans hanc rerum horam? Ideo, inquit, ut timeatur, ne simus temerarii a) in operibus suis, et nihil superbe et praesumptuose tente-

z) Deus, non fortuna aut fatum successum rerum dat (1536). a) Timor Dei temeritatis remedium (1536).

mus, tanquam ex nobis, ut et Paulus docet. Ambulantes in timore, ut sciatis non esse volentis neque currentis, quia ipse operatur et velle et perficere. Qui haec credit, scilicet, non esse res ipsas in manu nostra positas, is nihil temere agit, omnia tribuit operanti Deo, et ab illo expectat. Si ille dat, fruitur, si non, caret. Si aufert, patitur. Sic manet Dei gloria et nostri humiliatio, et verus Dei cultus in nobis. Hoc enim est timere Deum, habere Deum in conspectu, scire illum omnium operum nostrorum inspectorem, et agnoscere omnium et bonorum et malorum autorem.

Quod fuit, hoc ipsum jam est, quod erit, id dudum fuit. Et Deus quaerit ea, etiamsi impediuntur [45]).

Supra capite primo dixerat: Quid est quod fuit? id quod futurum est etc. Hoc est omnino diversum ab eo, quod hic dicit: Id quod fuit, jam est. Quia ibi loquebatur de hominum operibus et rebus, hic de Dei factis. Humanum cor b) non potest contentum esse praesentibus, nec hoc velle, quod modo est, sed quod futurum est. Quando vero habet futura, nondum est contentum, sed rursum quaerit alia. Non expletur animus. Estque haec cordis humani conditio, semper spectare futura, non tamen expleri. Deus autem contrario modo facit et agit. Apud illum enim, quod fuit, adhuc est. Id est: ipse non divertit in res futuras; sic enim de illo dicitur: vidit cuncta quae fecerat,

b) Humanum cor. 1536: Animus hominis inexplebilis.
45) impediantur.

et erant bona valde c). Deus manet in opere, quod facit, et non sic ruit seu volat in alia et alia desideria futurorum, ut mens humana. Et qui ambulant secundum Deum, sic quoque faciunt, non distenduntur in futura neglectis praesentibus. Stabiliter operatur et stabiliter fruitur homo pius rebus.

Quia Deus quaerit ea, etiamsi impediantur.

Comparat, ut dixi, per antithesim nostra studia cum Dei studiis. Nostra studia sunt, habita negligere et fastidire, et habenda spectare. Deus autem persequitur quod est, et perseverat in opere suo, ut stabile sit d), quod facit. Sic etiam sunt studia piorum. Vult ergo dicere: etiam cum homo vult et conatur opus Dei impedire, tamen Deus quaerit et defendit suum opus, quod homines conantur impedire, vexare etc. Sic Deus constituerat David in regem, persequebatur illum Absalom, et vexabat, sed rursus instaurabat Deus, quod Absalom impediebat. Non sunt tam inconstantia ea, quae fiunt divinitus, ut humana consilia, neque enim fastidit sua consilia Deus.

Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiae impium. Et dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus. Est enim suum cuique proposito et cuique negotio tempus.

Quid dicam de vitiis et vanitate studiorum humanorum, cum etiam in loco judicii, id est, administratione juris et judiciorum versentur impii et

---

c) Gene. 2. d) Dei opera firma.

impietas? Nec adeo queritur Salomon, quod impietas sit in loco judicii, quam quod non possit corrigi impietas in loco judicii, quasi dicat: sic omnia sunt vana, ut nec ista cura corrigendae injustitiae magistratuum proficiat e). Cum vidissem impietatem, cogitabam corrigere, sed deprehendi quod non possem, donec Deus corrigeret. Sic et princeps noster Fridericus f) solitus est dicere: Quo diutius rego, eo minus regere scio. Item: Ubi tandem inveniam, cui possim confidere? Vide ut in omnium principum aulis utcunque boni et reipublicae bene cupientes et consulentes sint, tamen semper invenias aliquos, qui omnibus omnium consiliis satis negotii facessant et perturbent omnia. Tanta ergo est malitia hominum, ut non possis omnes emendare.

Vult ergo Salomon: si quis hic se maceret, ut omnes corrigat, non habet aliud quam afflictionem et dolorem. Committendum ergo Deo, et tollendus ac levandus hic lapis, qui levari potest et tolli, qui levari non vult, jaceat. Ego, inquit, 46) fui rex sapiens sancti populi et diligens cultor justitiae, cogebar perpeti impios in administratione publica, etiamsi submoverem aliquos, tamen semper subnascebantur alii. Quid non eveniet aliis? Optimum itaque fuerit, hoc facere, quod Deus dat, reliqua committere Deo, qui suo tempore judicabit justum et impium, homines neque volunt, neque possunt, etiamsi maxime velint.

---

e) Malitia hominum inemendabilis. f) Fridericus Elector.

46) † qui (1532).

Est enim suum cuique proposito et negotio tempus.

Omnia, inquit, habent suum tempus. Non possunt prius vitia corrigi, quam adsit illa sua hora statuta. Frustra ergo praeoccupamus hoc tempus, quo nos conamur omnia in futurum corrigere. Adeo ne in magistratibus quidem mihi successit meus conatus. Egi igitur pro viribus, correxi, quae potui, reliqua committens Deo.

Dixi in corde meo de genere vitae filiorum hominum, quo probat eos Deus, ut appareat similes esse bestiis. Nam eventus bestiarum et filiorum hominum similes sunt: sicut bestiae moriuntur, sic moriuntur et homines.

Hic locus est paulo obscurior, non tam sua culpa, quam interpretum, qui se valde torquent, dum fere putant Salomonem loqui in persona impiorum, sed frigidius est, quanquam receptum. Mihi videtur sensus simpliciter accipiendus. Fecit collationem sive concionem de studiis et conatibus humanis, vana scilicet esse omnia humana consilia et studia. Tandem venit ad afflictionem magistratus, quod illi, qui debebant [47]) reliquis esse mensura, sunt quoque vani. Ita a praecedentibus specialibus descendit ad generalia. Quid de singulis dicam, quando omnes sumus ut bestiae: nonne misera res est inter homines? Quid discrepat a brutis, quae et ipsae quoque nihil meminerunt Dei. Sed

47) debeant.

est quaestio g): quare contulit homines cum bestiis, quasi nihil habeant amplius quam bestiae, cum tamen supra docuerit pietatem seu timorem Dei, et post hanc vitam esse aeternam vitam? hoc quod maxime ursit interpretes [48]). Responsio brevis h). Interpretes hic non observant scopum libri, neque meminerunt, quod tamen toties inculcat, se de rebus sub sole loqui, quod in novo testamento et vulgatius dicimus in mundo. Distinguit enim iste libellus vitam pietatis i) a vita mundi k) seu sub sole. Habere laetum cor, et gaudere de praesentibus cum timore Dei, non est res mundi, sed donum Dei est de coelo et ultra solem. Affligi vero in rebus istis, est nihil differre a bestiis.

De genere vitae filiorum hominum.

Hebraice est vox l), quae ipsis est valde lata, sed in hac forma significat ritum, habitum, ordinem m), conversationem. Sicut Psal. 110 [49]) n): Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchizedech. Puto proprie significare ein Wesen. Epistola ad Hebraeos o) egregie tractavit hanc vocem Psalmi. Nempe sicut Melchizedech non habuit patrem [50]) etc., ita tu quoque, inquit etc. eodem modo sive ritu etc. Venit autem a Dabar, quod est res, caussa. Significat igitur habitum, contingentiam, ut sit sensus: dixi in corde meo de

---

g) Quaestio. h) Responsio. i) Vita pietatis. k) Vita mundi. l) Dabar (1536). m) Ordo. n) Psal. 110. o) Ebre. 7.

48) interpres. 49) Mscr. 109. 50) † nec matrem (1532).

genere vitae, id est, ut habeant se homines in terris: wie es den Menschen gehet, und wie sie sich haben.

Nam eventus filiorum hominum et eventus bestiarum similes sunt.

Id est: eadem accidunt, eadem eveniunt hominibus et bestiis. Vult dicere: genus humanum sicut bestiae p) vagatur, nec plus lucratur de vita, quam bestiae. Sicut bestiae moriuntur, sic moriuntur et homines [51]). De mortis hora loquitur, non de morte, id est, sicut bestiarum incerta hora mortis est, sic hominum. Bestia nescit quando aegritudinem aut sanitatem habitura sit, aut quando moritura, sic nec homo. Quid ergo superbimus? cum nihilo plus habeamus de hora mortis, quam bestiae.

Similiter spirant omnia, et non amplius habet homo quam bestia, quia omnia sunt vana, omnia abeunt ad unum locum, omnia de pulvere facta [52]) et omnia revertuntur in pulverem.

Non potest torqueri locus ad animi mortalitatem, quia loquitur de rebus sub sole. Mundus certe non potest intelligere neque credere, animam esse immortalem. Quin si spectes contingentiam et speciem, de qua Salomon dicit: Homo moritur ut bestia, habent anhelitum eundem ut bestia. In specie ergo convenimus. Philosophi de animae immortalitate disputarunt quidem q), sed ita frigide,

p) Homines ut bestiae. q) Disputatio philosophorum de anima. 1536: Animae immortalitas.

51) 1536: Sicut bestiae mori riuntur et homines.
52) † sunt (1532).

ut meras fabulas egisse videantur, potissimum vero Aristoteles[r]) sic de anima disputat, ut diligenter et callide caverit ubique, ne alicubi dissereret de ejus immortalitate, neque voluit exprimere quid sentiret. Plato[s]) retulit potius audita, quam suam sententiam. Neque enim potest ulla ratione humana convinci ejus immortalitas, quia res est extra solem, credere animam esse immortalem. In mundo non videtur neque intelligitur certe, animas esse immortales.

Omnia abeunt ad unum locum etc.

Id est: nisi Dominus daret homini spiritum suum, nemo posset dicere, hominem a bestia differre, quia simul homo et pecus ex eodem pulvere facti, in eundem revertuntur etiam. Estque reversio ad eundem locum argumentum similitudinis inter homines et bestias. Non quod ita sit, sed quod mundus, qui secundum speciem illam et contingentiam utrisque communem judicat, sic sentit, neque aliter sentire potest, sed ad aliud credendum requiritur quiddam sublimius mundo.

Quo probat eos.

Vox Hebraea purificare significat vel eligere. Deus, inquit, sinit utrosque, homines et pecudes, simul eodem habitu, eadem forma ire et vivere. Sed hoc sinit Deus, ut probet homines, an tantum spectent haec externa, et an moveantur[53]) his argumentis, quae impii spectant, nec aliud credunt. Pii vero etiam in hoc exercentur, ut plus

r) Aristoteles. s) Plato.
53) moveamur (1532).

fidei acquirant. Vadunt quidem eodem modo cum impiis et bestiis, sed spiritu consolantur intus et pacantur.

Quis scit an spiritus hominis ascendat sursum, et spiritus bestiae descendat deorsum in terram?

Simpliciter, inquit, da mihi unum, non piorum hominum, sed qui sunt sub sole seu in mundo, qui possit asserere, quod anima post vitam hanc vivat, cum videat spiritum hominum et pecudum nihil differre. Mors enim adest utrisque statim, ubi cessat eorum anhelitus. Hoc nullus hominum novit. Quod autem scimus, scimus non ut homines, sed ut filii Dei t) et supra solem, quippe qui sumus in coelestibus et pertinemus ad coelum. In mundo vero non est haec scientia, neque pax, sed omnia geruntur ut cum bestiis. Fuerunt in Graecia praeclarissima ingenia, quae tamen nihil unquam solidum de hac re dixerunt. Lucianus u), homo perspicaci et jucundo ingenio, acriter disputat, tantum irridens philosophorum opiniones de anima.

Et vidi quod non sit melius, nisi laetari hominem in operibus suis, quia haec est pars ejus, quia quis adducet eum, ut futura post se cognoscat.

Haec est sententia piorum hominum. Illi enim apprehenderunt hanc doctrinam, impii vero vexantur similitudine bestiarum, nec aliud habent de suis

t) Animae immortalitatem scimus non ut homines sed ut filii Dei. u) Lucianus.

laboribus, quam vanitatem. Hanc enim doctrinam neque sciunt neque credunt; ratio enim non persuadet. Estque ex hoc loco convictus [54]) omnis grex philosophorum [55]) multa congerentium de animae immortalitate, quam ipsi non credunt. Haec est itaque justorum pars, frui praesentibus, et futuris non affligi, sed hoc non fit sub sole. Qui vero secus agunt, duplici sese incommodo gravant, praesentibus non utuntur, et futura non acquirunt. Acciditque illis ut Aesopico cani v) umbram captandi, amissa carne, sic et illi praesentia fastidiunt, quaerunt alia. Et hactenus quidem in generalibus fere disputavit de vanitate mundi Salomon, sequuntur nunc particularia.

Caput quartum.

Converti me, et vidi omnes, qui calumniis oppressi sunt sub sole. Et ecce lachrymas oppressorum, nec erat quisquam, qui consolaretur, aut eriperet de manu calumniantium, et nemo poterat eos consolari.

Percensuit inania consilia humani cordis, impediente Deo, scilicet, quod ea tantum, quae Deus constituit et facit, pertingunt suum finem, nec possunt impediri, nunc porro pergit enumerare impedimenta humanorum consiliorum, hoc est, media et causas, quibus solet nos Deus revocare a nostris studiis et consiliis, et cogere, ut praesentibus uta-

---

v) Aesopicus canis homines.

54) convicta (1532). 55) Mscr. phisophorum.

mur. Vidi[56], inquit, neque magistratus neque reges posse auferre calumnias et injurias e rebus humanis, imo Deus prava et violenta ingenia illis objicit, quibus non possunt liberari. David w) optimus princeps bene consulere vult reipublicae, sed impediunt Joab x) et Absalom y). Conabatur auferre Joab, neque tamen potuit. Ita sunt sui principibus turbatores, quos tamen ferre coguntur, per quos Deus impedit sapientum consilia. Vidi item judices esse corruptos, et tyrannos opprimentes viduas et pupillos etc. Et omnino major est violentia et ferocia hominum, quam ut possint regi et corrigi ab homine, nisi a solo Deo.

Et laudavi mortuos, qui jam decesserant, magis quam vivos, et feliciorem duxi utrisque eum, qui nondum natus est, qui non vidit mala, quae fiunt sub sole.

Hic iterum disputant argutuli, quasi Salomon loquatur ut impius, qui praeferat mortuos vivis, cum tamen Augustinus z) tractans locum Johannis: Bonum erat homini illi si natus non fuisset, dicat, melius esse male esse, quam omnino non esse, verum sophisticantur isti: damnati vero et calamitosi sic sentiunt et judicant, ut Salomon hoc loco dicit. Nam illi certe mallent non esse, quam sic perpetuo cruciari, et hoc simpliciter melius esset. Recte ergo hic ait: Si consideres miseriam affli-

---

w) David. 1536: David non potuit omnes injurias e regno suo tollere. x) Joab. y) Absalom. z) Augustinus.

56) † Vide.

ctionum humanarum, et tantum in hanc vitam intuearis, laudes mortuos magis quam vivos [a]). Es sollt einer lieber todt sein, quam videre tantam miseriam et calamitatem. Nihil ergo dicit de futuro judicio, sed de rebus sub sole gestis, ibi est melius non esse [57]), quam videre humanam afflictionem. Quod etiam gentes senserunt, qui dicunt, optimum non nasci [b]), aut natum mox interire. Per comparationem itaque simpliciter hic locus intelligendus est.

Vidi omnes labores et industriam in artificibus, ibi aemulatur unusquisque proximum. Id vanum est et afflictio [58]) spiritus.

Aliud genus calamitatis et impedimenti studiorum et consiliorum humanorum, sicut apud magnos et potentes regnant calumniae, oppressiones etc. ita in vulgo nihil sunt nisi invidiae [59]), aemulationes, odia etc. Descende, inquit, ad plebem, et considera artifices, ibi invenies artifices malevolos [c]), senties eorum nequitias, fraudes, imposturas, obtrectationes, ut inter se alii alios sine fine oderint et aemulentur. Kann Jemand etwas, so ist man ihm feind. Qui bonus est artifex habet mille osores. Acciditque juxta sententiam Poetae: Invidet figulus figulo [d]), faber fabro, poeta poetae etc. Hic est casus et cursus omnium artificum.

---

a) Mortuorum conditio melior quam vivorum. b) Optimum non nasci. c) Artificum fraudes et injuriae. d) Figulus figulum odit.

57) † quam videre — non esse (1536). 58) afflicti (1532). 59) invidia (1532).

Finge aliquem velle discere artificium [60]), unde se speret in futurum beatum seu habiturum victum, ibi si bene discat, si aliis emineat, habet multorum invidiam et odium. Quid ergo? Num cessandum? Num nihil discendum [61])? Non, sed pro viribus laborandum, et Deo committendum opus. In studiis quid faciemus? Cessabimus, quia hoc aut illud non accipiunt discipuli? Aut quia contemnuntur literati? Non [e]), fac quod facis, exspecta interim horam; nam scis esse bonum docere alios. Ne igitur specta mundum, aut tua consilia. Quoquo spectes, occurrent molestiae.

Nos hodie consultum volumus germaniae per evangelium et sperabamus fore, ut omnes amplecterentur, sed illi ipsi quibus nos profuimus, ut sint liberi a tyrannide papae, percacant nos, et nos putabamus fore adjutores, conculcant nos pedibus. Quid hic faciamus, non indignemur? Non omnia relinquamus? Non, invideant, contemnant, persequantur alii; nos pro viribus agemus, docendo, laborando, scribendo, discendo, quia Deus ita vult, nam sine invidia nemo erit in mundo, qui modo recte volet facere. Nos non debemus praefinire horam, qua profuturus [62]) sit labor, Deus viderit. Tu tantum labora, et fac quod Deus dat in manus, neque putes per te posse omnia restitui, ut omnes magistratus sint boni, ut omnes artifices concordes et probi. Sic ergo inquit:

---

e) Ingratitudo hominum non avocet a vocatione Dei.

60) „Finge — artificium" deest (1536). 61) dicendum (1536). 62) futurus.

Vidi industriam in artificibus.

Id est: Homines appositissimos ad sua officia[f]), sed nihil poterant efficere pro suo voto, quia non fuit in manibus eorum, odium vicinorum obstitit et impedivit. Sunt itaque hae plane evangélicae monitiones et consolationes, quae revocant nos a cura et sollicitudine rerum humanarum. Siquidem vanitatis humanae et afflictionum ubique est magnus numerus, nusquam non occurrunt. Cum essem ego novus praedicator, serio agebam, ut omnes redderem bonos, sed dicebatur mihi, et vere: Er hat zu einen gelben Schnabel g) dazu, daß er alte Schälk sollte fromm machen. Idem contingit in omnibus officiis. Movet [63]) se hoc malum in omni vitae genere; optimum ergo est frui, quae habes ad praesens, et omnia agere ad praesens, ac sinere quod malum est praeterfluere. Sic deluditur mundus.

Summa, qui vult quiete vivere, proponat sibi, quod nihil aliud sit visurus in mundo, quam vanitatem, et non dolebit, si quid mali acciderit, gaudebit vero bonis, quae aderunt. Si intruderis in eam necessitatem, ut cogaris consulere rebus, fac quod licet, et faciat Deus quod vult, si vero te [64]) ultro vis immiscere mundo, omnia curva corrigere, omnibus malis mederi, et Satanam e mundo ejicere h), facies tibi laborem et dolorem, praeterea nihil, nec plus efficies, quam si velis Albim prohibere ne fluat. Res humanae non volunt neque pos-

---

f) Artifices industrii infelices. g) Geel Schnabel.
h) Satan non pellitur e mundo.
63) Monet. 64) tu.

sunt regi humana voluntate, sed qui creavit omnia idem quoque regit suo arbitrio.

Id etiam vanum est et afflictio spiritus.

Si scilicet velis mederi isti invidiae et pessimis rebus, sine illos invidere, impedire, sine inique agere, si dominus uti volet tua opera et consilio, faciet sua hora et loco, hanc exspecta. Sic si nunc[65]) volet servare studia et scholas, novit tempus et personas, quibus id efficiet, nos quos putamus utiles in hoc saepe sunt incommodissimi.

Stultus complicat manus suas, et comedit carnem suam.

Stultus i) hoc loco significat, non ut nos fere intelligimus morionem aut fatuum, sed hominem impium et nihili, quem germanice dicimus: Einen unnutzen heillosen Menschen, quales sunt invidi illi, qui cum ipsi nihil possint, alios tamen obturbant et impediunt, tales enim homines nihili, sine industria et ingenio ad nihil vivunt, nisi ut molesti sint aliis, sicut, qui male docent aut discunt, stulti et indocti concionatores, sic et inter artifices fuci k) illi, quos vocamus Humpeler, qui tantum alios impediunt, cum ipsi nihil recte faciant. Tales sunt in magistratu impedimenta reipublicae, ut illi maxime turbent rempublicam, studia et alia bona, qui maxime juvare sperabantur. Sic stulti concionatores plus impediunt evangelium, quam aperte evangelii hostes.

---

i) Stultus. k) Artifices Fuci.
65) non.

Stultus ergo complicat manus.

Non est strenuus operator, non est vigil, sed semper [66]) stertens et piger, qui non afficitur serio operi suo, imo alios impedit, contemnit, obloquitur. Hoc est complicare manus l), ipsum nihil facere, sed et aliis obesse. Eadem phrasis est Prover. 6 m): Complica manus et superveniet tibi quasi viator egestas. Inde videtur esse, quod Plinius n) ait, ominosum esse complicare manus, recte dictum, sed non ab illis intellectum, econtra de industria et impigra matrefamilias dicitur, manus ejus apprehenderunt fusum, id est, sie greifts an. Hos ergo stolidos et nihili homines Deus nobis suscitat, ut impediat nostra consilia et studia.

Comedit carnem suam.

Rursum hebraica phrasis est o) pro: macerare [67]). Similis in Hiob est: Lacero dentibus carnem meam. Vult dicere: Hujusmodi homo ineptus et stultus sibi non prodest, aliis vero nocet et resistit, aliis invidet, se ipsum macerat. Rubigo et vermis est homo talis in republica, sibi et aliis noxius. Darumb bleiben es auch Humpeler.

Melius est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione spiritus.

Hoc potest intelligi dictum a stulto imitative,

---

l) Complicare manus. m) Proverb. 6. n) Plinius. o) Comedere carnem etc.

66) „semper“ deest (1532). 67) macerat se (1532).

vel simpliciter et assertive a Salomone. Si imitative, sic accipiendum est; ut sit hominis stulti sapiens consilium, qui optima sententia abutatur pro sua ignavia, ut solent tales, quasi dicat: Quid ego sic laborem, aut ille industrius suis laboribus et se diligentia fatigans? Quid me macerem? Tantum accipio quantum alius p). Sic excusans ignaviam suam, quemadmodum Monachus quidam dicebat, nihil esse, quod vellet se macerare studendo, quandoquidem aeque pinguem portionem acciperet, ut Doctor. Inter tales vivendum nobis est, tametsi intolerabiles, velut dum per silvas et dumeta [68]) cogimur ambulare, ubi est eluctandum, quantumvis impediant et remorentur spinae. Non enim aliud est hic mundus, nisi merae spinae q). Si assertive, ut verba et consilium Salomonis intelligas, quod mihi magis arridet, erit haec sententia: Cum videas in omni studio esse impedimenta, quid facies? Noli te macerare, si fatui illi impediant te. Quin si stultus macerat se, tu tamen labora, et fruere partis cum gaudio. Si non potes utramque manum plenam accipere, accipe et boni consule vel pugillum ex dono Dei, et ut sit exiguum lucrum, tamen esto contentus et hilariter vive.

Converti me et vidi aliam vanitatem sub sole. Unus quispiam est sine socio, sine liberis, sine fratre, nec tamen desistit laborare, nec oculi ejus exsaturantur di-

p) **Ignavi optime dictis abutuntur ad suam ignaviam. Monach. ignavus.** q) **Mundus spinae (1536.)**

68) **dum ea.**

vitiis. Cui verò laborem? et defraudem genium? Id quoque vanum est et mala afflictio.

Pergit Salomon in enumerandis studiis et curis humanae vanitatis, inter quae recenset avarum istum Euclionem, qui multa congregat, et non fruitur tamen. Totus fere mundus involvitur hoc vitio. Omnes quaerunt quae sua sunt, et serviunt suo ventri. Hos tamen taxat praecipue, qui torquentur ut ditescant, et tantum congregant aliis, non exspectant horam acquirendi, neque horam fruendi.

Est unus quispiam sine socio etc.

Damnant hoc vitium poetae quoque, et dignis fabulis irrident. Avarus r) enim non fruitur, tantum aspicit aurum, nec tamen exsaturantur oculi, sicut de Tantalo ludunt Poetae. Sic enim Horatius s): Tantalus a labris [69]) sitiens fugientia captat pocula; quid rides? mutato nomine de te fabula narratur, congestis undique sacris [70]) indormis inhians, et tanquam parcere sacris cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Melius est igitur duos esse quam unum. Est enim ex labore eorum aliquis fructus, si unus ceciderit, eriget eum socius. Vae soli, cum enim ceciderit, non habet socium a quo erigatur. Et cum duo cubabunt una, calefacient se mutuo, unus autem quomodo calefiet? Et cum uni

---

r) Avarus (1536). s) Horatius. 1536: Tantali fabula.
69) libris (1532). 70) saccis (1532).

praevaleat aliquis, duo tamen resistunt. Funis triplex difficulter rumpitur.

Consilium Salomonis, quo commendat societatatem[t] et communionem rerum, et jubet uti rebus praesentibus, et laborare, sed non sibi soli, sed pro aliorum etiam usu. Communio est bona ad res servandas[71]. Avarus autem non patitur socium, et damnat communionem rerum, congregans sibi soli, et est vere canis in praesepio[u]. Hos solitarios et[72] congregatores, non homines, sed bestias et canes, damnat hic Salomon. Pulchrius est, inquit, vivere in societate et communione rerum. Quia, si unus ceciderit etc.

Hunc locum torserunt ad peccatum et confessionem[v], sic intelligentes et exponentes hunc textum: Si fuerit aliquis peccato lapsus, et non habuerit virum aliquem sanctum, cui confiteatur, non potest is surgere in vitam pietatis et gratiae. Sed ostensum est, Salomonem loqui de cursu humanae vitae sub sole, adversus humanam[73] afflictionem. Commendat enim communionem et societatem humanam in rebus fruendis adversus vitam solitariam avari. Vult dicere: Avarus[w] nec sibi nec aliis utilis est. Nemo ejus commoda sentit, quippe qui cum nemine vivit, qui suas res sibi soli habet, imo habens non habet. Cujus vero vitae ratio non est sic solitaria, ejus sunt certa aliqua commoda. Utilis

---

t) Societas commendatur (1536). u) Canis in praesepio. v) Sententia illa ad Confess. detorta. w) Avarus (1536): nulli utilis.

71) „Communio est — servandas“ deest (1536). 72) „et“ deest (1532). 73) vanam (1532).

ipse aliis, utilitatem item accipit ex aliis. Valet enim haec communio, ut dixi, ad res servandas et augendas. Hoc est quod addit:

Non habet sublevantem. Item: Unus quomodo calefiet? Non habet auxilium, non consilium, non consolationem in afflictione. Quid habet, quando solus sibi congregat? spectator tantum pecuniae ceu pictae tabellae.

Funis triplex difficulter rumpitur.

Admiscet proverbium egregium, ut infra saepe facit, idque pro more boni concionatoris. Sensus est: Melius est esse socios et frui communiter rebus, quam esse avarum solitarium, sibi tantum caventem et rapientem. In societate est mutuum auxilium, communis opera, commune solatium, ubi avari vita misera, inanis et afflicta est, et tandem cogitur misere perire. Hoc ergo confirmat proverbio, quod hinc videtur sumptum: pater quidam prudens moriturus jubet adesse filios, quibus tradit virgarum fasciculum frangendum. Quas cum simul omnes frangere non possent, fregerunt tamen singulas. Sic ille docebat filios, firmas fore eorum opes, si concordes essent et mutuo se juvarent. Concordia enim res parvas crescere, discordia x) distrahi et dilabi.

Prudens puer et sapiens praestat regi seni et stulto, qui non providit in posterum.

Aliud genus vitae post avaros: sibi et aliis

x) Concordia. Discordia.

inutiles. Sicut dixit vanitatem esse in avaritia, sic jam dicit esse in ambitione. Quia multi nascuntur in regno, et tamen non manent. Multi egrediuntur de carcere ad regnum, et fiunt divites. Alii egrediuntur e regno et fiunt servi, ut sciamus nostra studia esse nihil. Nostrum consilium, noster conatus nihil efficit. Ideo illi captivi fiunt reges, et bene regnant, quia Deus ita fortunat. Nati reges male regunt. Vidi ego multos pueros egregie educatos et optime institutos, qui tamen amoto paedagogo et accepta haereditate facti sunt perditissimi, et quidam sine educatione ac institutione boni viri. Quid igitur? Num negligendi pueri? Num non instituendi? num negligenda omnia? Non.

Videtur hic liber omnino quidem docere negligentiam rerum et cessationem, sed nihil minus facit. Docet vero negligere nostra consilia et curas, quibus cor nostrum affligitur. Sic evangelium, cum justitiam operum rejicit, non liberat manum, sed conscientiam y). Quia opus praecepit Deus, curam vetuit. Instituendi sunt ergo pueri, sed de proventu Deo cura committenda, sicut agricola debet sementem facere, committere autem Deo curam proventus. Sicut [74]) Deus per legem huic populo datam, nihil neglexit, quod ad illos regendos attinebat, tametsi non effectum sit, quod oportuit, et in multis male cesserit. Sic diligenter curare debet magistratus, ut respublica sit bene constituta et munita, non tamen debet confidere suae industriae et con-

---

y) **Justitiam operum rejicit evangelium etc. 1536; Evangelii libertas.**

74) **Sic.**

silio. Danda est opera, faciendus labor etc., sed curae et afflictiones sunt negligendae, nec velimus Deo praescribere modum et locum et tempus. Ut agricola suo tempore jacit semen in agrum, postea abit et dormit, nihil sollicitus de proventu, alioqui nunquam habiturus quietem. Ideo nemo putet Salomonem damnare labores humanos. Curas prohibet et anxietates, labores exigit z).

De carcere aliquis exit ad regnum, alius in regnum natus amittit regnum.

Hoc sic cum praecedentibus convenit et cohaeret. Ideo melior est sapiens puer sene stulto, eo quod saepe contingat[75]), ut egrediatur de carcere aliquis ad regnum. Alius e rege fit ignominiosus et stultus, ut Manasse, Zedekias. Contra Joseph fuit in carcere, et factus est princeps Aegypti, et nostro saeculo Ungariae rex Mathias a) factus est potentissimus rex e carcere. Hujusmodi fiunt saepe in rebus humanis, quod vel maxime res Romanae testantur. Valerianus b) non malus Imperator, dum capitur, factus est scabellum regis Persarum ad mortem usque. Unde vero hoc illi? Quia venerat hora ejus definita a Deo. Quorsum ergo curae? Sufficit diei malitia sua. Instituendus itaque filius regis regio more, sed velle praescribere, quid in futurum agere debeat, et quam bonus rex sit futurus, id vero est afflictio. Commendandum autem Dei consilio et voluntati ac dicendum:

---

z) Cura prohibetur, labor exigitur. a) Matthias Ungariae rex. b) Valerianus.

75) contingit (1532).

Domine Deus, ego quidem instituo hunc puerum, tu autem fac eum regem si vis.

Et viventes sub sole versari omnes cum adolescente secundo, qui erat alteri successurus, infinitus populus et ante eum et post eum. Nec tamen laetabantur in eo, et hoc ergo vanum est et afflictio spiritus.

Viventes c) appellat Salomon splendide victitantes, et sic viventes, quasi haec vita sit illorum propria, et mundus sit illorum caussa conditus, ut solent proceres Aulici. Perseverat autem in paradigmate de educatione regis, sive ad res politicas, sive bellicas. Educatio, inquit, est bona, verum voluntas humana et studium non perficit quod vult. Consilia educationis sunt fallacia, opera est necessaria, sed eventus et cura saepe fallit. Ergo docet nostra consilia vana esse. Nam si in regibus fallit educationis cura et consilium, quanto magis fallet in aliis [76]), ubi minor cura et educatio negligentior?

Quod dicit: Viventes seu proceres omnes sub sole versari cum adolescente secundo, non intelligit omnes viventes seu proceres, qui sunt sub sole, sed populum ejus regni et regis, vel majorem partem, ut sit sensus: Universus populus, qui circa regem sunt, observant filium regis. Cuncti adhaerebant ei, optime de eo sperantes. Erat enim juvenis princeps, adolescens secundus, et qui stat vice alterius regis. Id est, rex futurus post hunc regem, qui debebat patri succedere in regno. Ante

---

c) Viventes.

76) plebeis.

quem et post quem est infinitus populus. Id est, stipatus est magna multitudine seu comitatu sui populi, satellitibus et ministris, ante et retro, more regio. Magna spes erat in hoc adolescente, quod major esset [77]) futurus patre. Omnes augurabantur bene, et tamen non laetabantur in eo. Quare hoc? Quia non respondet illorum exspectationi, sed fit stupidus et stultus juxta proverbium: Aut regem aut fatuum nasci d).

Sic Nero magna spe et gratulatione factus est rex, adeo ut illius quinquennium e) celebre sit et laudatum. Posteriores vero anni fuerunt dissimillimi. Sic item Heliogabalus f) et Commodus g) magna exspectatione facti sunt et ipsi principes ac imperatores, sed fefellerunt omnium spem et exspectationem. Alter enim degeneravit in hominem spurcissimum, imo beluam potius quam hominem, alter vero factus est vere incommodus et alter Nero. Quare bonus princeps h) Phoenix est quaedam rarissima. Fallunt enim humana consilia, ut de quo magna nobis saepe spes fuit, ejus nos maxime poeniteat. Sic Roboam i) ipse filius sapientissimi patris, de quo haud dubie optime sperabatur, ut qui optime erat educatus a patre, tamen evasit patris dissimillimus; si itaque fallunt humana consilia in summo genere vitae, fallent etiam multo magis in privato vitae genere, in tua domo, in tuo officio etc. Oportet enim et ibi aut artificem aut fatuum nasci etc.

---

d) Aut regem aut fatuum etc. e) Neronis quinquennium. f) Heliogabalus. g) Commodus. h) Bonus princeps. 1536: † Phoenix. i) Roboam.

77) est.

Loquitur autem de regibus, quia in illustribus personis illustria sunt facta, hoc est, omnibus conspicua. Privatorum vero facta fere negliguntur, aut certe minus observantur, sed juxta proverbium germanicum: Ein weiser Mann thut keine kleine Thorheit. Plebejus aliquis si peccet, vel aliquid stulti faciat, non admodum observatur. Alioqui et privatorum hominum conditio ad eundem modum se habet, ut regnum k). Non itaque damnat Salomon studium educandi regis, ditandi filii, aut regendae domus, sed nostra consilia, quibus haec regere volumus. Opus praecipit, sed curam vetat. Tu instanter labora, sed committe Deo proventum et effectum. Memineris exempli de rege diligenter educato, et tamen mutato, ut scias res non geri nostris consiliis et conatibus, sed voluntate Dei, qui singulis rebus suum definivit tempus et horam, extra quam nihil succedit usquam. Itaque si respondet educationi, gratiae agendae, non nostro studio aut curae, sed benedicenti Deo. Si crescunt segetes, item hoc non nobis, sed Deo debetur. Qui enim posset homo defendere segetes, vel ab alitibus, vel a feris, erucis et lupis, imo ab invidia Satanae. Ergo non est in nostris studiis, sed in benevolentia et benedictione Dei, ut scilicet tantum ei gratias agamus, qui operatur omnia in omnibus pro bona sua voluntate. Eadem ratio est in educandis filiis. Si habes bonum filium, dic: Dominus dedit, et fecit; sin minus, dic: haec est conditio humanae vitae. Ego laboravi, dominus autem non voluit, sit nomen ejus benedictum.

---

k) **Regum et privatorum hominum eadem conditio.**

Caput quintum.

Observa pedem tuum cum ingrederis domum Dei, et appropinqua, ut audias. Id melius est quam victimae stultorum, neque enim sciunt, quantum mali faciant.

Hinc incipio caput quintum, est enim novus locus. Ex lectione hujus libelli accidit insensatis, quod impiis ex praedicatione evangelii; hi enim cum audiunt praedicari justitiam fidei et Christianam libertatem, negari vero justitiam operum, mox inferunt, nihil ergo operemur, imo peccemus, quia fides sufficit. Econtra, si praedicantur opera, ut fructus fidei, eisdem mox justificationem tribuunt, et salutem inde quaerunt. Sic semper ad verbum Dei sequuntur ista duo, praesumptio et desperatio m), ut difficile omnino sit, manere in via regia. Idem accidit huic libello. Insensati enim cum audiunt hanc doctrinam, quod debemus esse corde quieto et pacato, ut committamus omnia Deo, sic inferunt, si omnia sunt in manu Dei, ergo nihil operabimur, sicut alii in alteram partem peccant, quod sunt nimis sollicite, volentes omnia omnibus modis metiri et regere. Regia vero via incedendum n) est, strenue laboremus et faciamus quod possumus secundum verbum Dei, sed opus non metiamur nostris studiis, sed committamus divinae prudentiae omne studium et consilium et eventus.

---

l) Impii aut nimis ad dextram aut nimis ad sinistram declinant. m) Praesumptio et desperatio. n) Regia via incedendum est.

Videtur itaque mihi, Salomonem hoc loco praeoccupationem facere, et salutarem adhortationem ad eos, qui in via media non incedunt, sed aut nimis sunt remissi ad laborem, aut nimis solliciti, quibus consulit [78]), ut permittant se regi verbo Dei, et interim diligenter laborent.

Observa pedem tuum quum ingrederis domum Dei.

Domus Dei seu templum o) institutum est non tam propter sacrificare, quam propter praedicare, ut ibi conventus populi Dei fieret, ad audiendum verbum de Deo suo, sicut princeps convocat suos, non solum ut edant et bibant, sed ut audiant verbum suum etc. Quare ubi non est auditus verbi Dei, ibi non est conventus populi Dei, sive domus Dei. Jubet ergo observare pedem potius quam cor, scilicet ne scandalizentur, cum audiunt hujusmodi doctrinam. Vide, inquit, ne erres, cum audis hanc doctrinam, sicut ille loquitur in Psalmo p): Paene moti sunt pedes mei. Ad omne enim verbum Dei, sive tractet de pace conscientiae, sive externa, sequitur scandalum q), quia est signum, cui contradicitur, in ruinam et resurrectionem multorum r), sicut et Christus dicit s): Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. In summa: verbum est scandalum et stultitia carni t).

Dicit itaque: Audis me docentem, sed vide, ne offendaris, et facias te scandalum tibi, ut, cum audis

---

o) Domus Dei etc. p) Psalm. 73. q) Verbum Dei scandalum est. r) Lucae 2. s) Matth. 11. t) 1. Corin. 1.

78) consuluit.

pacatum cor habendum, et conatus [79]) tuos esse vanos, ne dicas, nihil ergo laborabo, aut sentias nihil curandum esse, aut contra, ne nimis sis sollicitus, et velis tua ratione omnia gubernare. Humanae curae, disputationes et consilia sunt inefficacia, ut Politia Platonis u). Sed si vis omnia scandala effugere, trade te verbo et operi Dei, omissis et abjectis tuis cogitationibus et consiliis, Laß dir sagen, halt die Ohren her, appropinqua ut audias. Nusquam enim in omnibus rebus humanis et divinis tuta est via nostra, nisi tradamus nos totos verbo et operi Dei, et in eo consistamus sine mentis disceptatione.

Id enim melius est, quam victimae stultorum.

Hoc proverbialiter est additum ad confirmandam hanc sententiam. Audire verbum praestat seu melius est, quam universa stultorum sacrificia, cultus et victimae. Quod ideo dicit, ut extollat auditum et obedientiam verbi v), super omnia opera. Justissimum enim est, ut prae omnibus audiamus Dei nostri consilium, quoties convenimus in domum Dei. Impii vero macerant sese operibus, relicto Dei consilio.

Et hic vides, quid Stultus w) significet Hebraeis, scilicet non eum, quem morionem appellamus, sed eum, qui non audit verbum Dei, aut ex animo non credit, etiamsi sit alias prudentissimus, quia illi

---

u) Politia Platonis. v) Verbum Dei audire (1536).
w) Stultus.
79) conatos.

non norunt Deum, neque quae Dei sunt, multo minus ea curant, sed distenduntur suis curis, curantes, quod non est curandum. Illorum studium est ut sacrificent. Tu vero apprehende optimam partem x), audi verbum Dei, et cave ne scandalizeris.

Quia ignorant quantum faciant mali.

His verbis ipse interpretatur stultos. Nam certe nemo est tam malus, qui faceret malum, si sciret tam malum esse coram Deo. Ideo vocat eos stultos, ignaros, caecos, qui faciunt quidem multa quasi bona, et magno serio, sed nesciunt ista sacrificia, quae tanto studio faciunt, esse plane impia. Sic Christus vocavit Pharisaeos caecos, quia sacrificabant multum, discruciabant sese operibus, sed fidem et caritatem negligebant, imo nesciebant, vocantes bonum quod erat malum, et econtra. Recte igitur eosdem stultos vocat.

Vides vero summum et optimum studium religionis stultum et malum vocari. Loquitur enim de sacrificio, quod illi optima intentione et serio faciunt, quia fiebat neglecto verbo Dei, mane ergo in verbo, ne hoc neglecto sequaris tua studia, et incidas in stultorum sacrificia, ut fecerunt, qui in castitatis, paupertatis, obedientiae et alia vota inciderunt, neglecto verbo Dei. Hi homines ista specie scandalizati sunt, et pedes eorum lapsi.

Ne properes ore tuo, nec festinet cor tuum loqui [80]) coram Deo. Deus enim in coelo est, tu vero super terram, ideo sermones

x) Lucae. 10.

80) „loqui“ deest 1536.

tui pauci sint, quia multae curae pariunt somnia[81], et multiloquium indicat stultum.

Haec una pars eorum, qui scandalizantur, et declinant in dexteram, qui nimium discruciantur et disputant de Dei consiliis, sicut alii dicunt: Si nihil faciemus, sed solum credemus, nihil ergo operemur. Sic isti: Si nostra consilia nihil sunt, quid agemus? Quare nos ita condidit Deus? Quare huic successum dat, illi vero non etc. Monet ergo hic Salomon, ne hujusmodi cogitationibus acquiescamus, vel istos disputatores aemulemur, sed maneamus in verbo, operemur quod hic nobis praescribit. Non horum sollicitudines, nec illorum spectemus negligentias; quin in strata et regia via maneamus.

Coram Deo.

Id est, in domo Dei, in isto loco, ubi docetur verbum, ubi colitur et praedicatur Deus, ibi non festines loqui, id est, ne sis tu doctor, nec tu doceas, sed sinito te doceri[y]. Impii vero postquam audiverunt verbum, statim oblatrant et remurmurant, alii in sinistra, alii vero in dextera parte. In sinistra pugnant papistae, sectarii nostri in dextera. Utrique veloces ad loquendum coram Deo, dum suas doctrinas volunt statuere pro divinis. Ne itaque tuum vel aliorum verbum sequaris, sed Dominum audies, ut et Jacobus ait: Nolite plures effici magistri. Sensus ergo est: ne sis magister tui vel

---

y) **Verbum Dei requirit discipulos, non magistros.**

81) **„quia — somnia" deest 1536.**

aliorum, nec audi vel te vel alios, nisi solum Dei verbum. Unus est enim magister vester Christus, qui in caelis est, hunc audite.

Somnium venit in multitudine curarum etc.

Duo proverbia sunt, quae applicat ad suam sententiam. Fit enim, ubi sunt multae curae et cogitationes per diem, ut noctu sequantur varia somnia, etiam medicorum judicio. Hoc generale proverbium sic applicat, si anxie cogitas et disputas de gubernandis rebus, et pro omnibus sollicite curare velis, nihil nisi somnia sequentur, quae expergefactum frustrantur, id est, vana tandem statues, 1. Timoth. 1. Nescientes quid loquantur aut de quibus affirment. Ita ubi nos et alii multa praescribimus hominibus, tamen nihil horum fit, multo amplius, ubi nostras cogitationes, consilia praeferimus verbo Dei.

Et multiloquium indicat stultum.

Id est; varie disputare, nimium sapere, omnibus velle praescribere, docere, indicat stultum. Dabei erkennet man einen Narren, wenn er will klug sein. Festinata sapientia et justitia nunquam perficitur, ut et ille dixit: odi puerum praecoci sapientia. Igitur sic monet, ut nos non disputemus, sed audiamus et faciamus. Et poterat textus iste duobus verbis comprehendi, audi et tace[z]). Qui enim bene potest audire, hunc germanico proverbio dicimus sapientem fore. Qui vero multis verbis et disputationibus vult videri consulere rebus, stultus est, et magis impedit

z) Audi et tace.

res. Sunt ergo egregia proverbia ad mores, et quae dici possunt contra eos, qui suis studiis volunt parare victum, vel qui volunt operibus Deo praescribere regulam etc. Sicut et Judas vocat tales somniatores, qui sine verbo Dei volunt ecclesiae consulere.

Quia Deus in caelo est, tu vero super terram.

Id est, memor esto conditionis tuae, Deus est in caelo tanta majestas, tu in terra vermis. Non poteris de divinis operibus loqui secundum tuum judicium, Deus potius loquatur, tu non disputes de Dei consiliis, et noli tuis consiliis regere res. Deus est, qui potest disponere et perficere res. Ipse enim est in caelo. Hoc totum nos sic germanice: Nicht viel Wort, halts Maul. Tu non dabis regulam Deo. Isti itaque in sinistra parte peccant, qui nolunt audire verbum Dei, sed ipsi volunt juvare res, imo docent Dominum, quid sit facturus. Hos sic retundit: Audi, tace, et fac quod ille jubet et offert; quod si non feceris, offendes in scandala et fies somniator et stultus.

Si quid voveris Deo, ne moreris reddere, neque enim placent Deo stulti, redde quod vovisti. Satius est non vovere, quam vovere, et non reddere.

Hic locus valde est jactatus in ecclesia et regno papistico, quo fere uno urgent ac erigunt vota monastica. Nos de hac re alias copiosius. Non disputamus, an vota sint reddenda aut non reddenda, sed an quae illi jactant, sint vere vota; Hieronymus et Lyra etiam in hoc consentiunt, votum tale debere

esse, ut sit possibile, et in honorem Dei cedat. Stultum votum a) vocant, ut levare culmum de terra, scalpere digito caput. Et Moses recenset votorum genera b) et quae res possint voveri, nempe ager, domus, cibus, vestis, corpus proprium, quae omnia sunt in nostra potestate. Sic Judaei vovebant sacerdotibus animam vel corpus suum, ut aliquo et definito tempore illis servirent. Praeterea Moses nullum habet perpetuum votum, praeter unum, quod vocat anathema, mortis scilicet votum, Levitici ulti, quod debebat occidi, sive ex hominibus sive ex jumentis esset, quod vovebatur, ut Jephthae Judic. 11 c) Quare si Monachi velint jactare perpetua vota, mox essent jugulandi, siquidem sua vota volunt ex Mose defendere, alias sunt omnia vota possibilia et temporalia d), ut possis corpus vovere Domino. Item agrum, pratum, vestem, ad aliquod tempus etc., ut eo utatur sacerdos vel Levita. Valde valuit ista vovendi ratio pro Levitis, ut eo facilius et commodius alerentur, et Deus de istis constituit, ut illis sic provideret.

Nostra vero vota sunt plane stulta e), taceo quod etiam impia, quia vovemus paupertatem et obedientiam, quae sunt praecepta in Evangelio, et omnium Christianorum. Virginitatis vero votum est impossibile, ergo judice etiam Hieronymo et Lyra sunt nulla. Caeterum hic locus Salomonis mihi plane videtur pertinere ad eos, qui in dextera sunt parte, qui audito, quod sua studia non prosunt, nihil

---

a) Votum verum et stultum. 1536: Votorum ratio. b) Votorum genera. c) Judic. 11. d) Vota possibilia, temporalia. e) Nostra vota stulta et impia.

deinde volunt operari. Sic enim stultus disputat. Si meis curis et studiis nihil effecero, nihil faciam, non solvam, etiamsi quid vovi etc. Contra hos contemptores ait: Fac quod Deus praecipit, non libero te labore, sed praecipio ut facias, quae Deus praecepit. Praecipit autem, ut, si voveris, reddas quod vovisti; quare si quid vovisti, et habes unde reddas, reddendum est. Comprehende haec omnia sic: Audi, tace, et fac quod faciendum est, quod Dominus mandat.

Non enim habet beneplacitum in stultis.

Confirmat nunc hanc sententiam comminatione divina. Loquitur autem de istis stultis, scripturae more, qui verbum Dei contemnunt aut non curant: Seid nicht ruchlos, schlahet es nicht in den Wind. Neque enim manebitis impuniti, sed certa vos manet poena, ut manere solet, quos aversatur [82]) Deus, et quibus irascitur. Nam et vobis irascitur.

Ne des os tuum, ut peccare facias carnem tuam, et ne dicas coram angelo, hanc esse ignorantiam, ne Deus irascatur voci tuae, et dissipet opera manuum tuarum. Somnia tantum et vanitates sunt multi sermones. Ideo Deum time.

Confirmatio est ejusdem sententiae, qua monet, ne sint praefracti, et nihil velint agere f), sicut ante monuit, ne essent nimis solliciti, et velint omnia sua ratione regere. Ne, inquit, loquaris tam carnaliter,

f) Stulti.

82) adversantur.

tam temere, tam imprudenter, ut audias carnem tuam, sed loquaris secundum verbum Dei g). Neque dicas, haec est ignorantia, seu leve peccatum, scilicet, etiamsi non laboro, si non praesto quod vovi, sicut leves conscientiae solent facere peccatum, et putant Deum non curare peccata, nec exigere bona nostra opera; tu vero nec excuses nec negligas, si pecces. Hinc enim veniunt haereses, quia verbum Dei vento mandant, et constantes ibi sunt, quasi non sit peccatum, tam spirituosi, ut verbi officio se egere non putent. Hanc securitatem seu negligentiam Hebraica vox שִׁגָּיוֹן h) indicat, quae est et in titulo Psalm. 7. et in titulo cantici Habacuc. Significat enim ignorantiam, sed non quam nos inscitiam vocamus etc. sed quam inconscientiam rectius vocaremus, si ea vox latina esset; id est: Wenn einem von eim Dinge nichts bewußt ist, oder hat deß kein Gewissen, ut referas non ad angelum, sed ad loquentis verba, qui sic dicit: Ego non sum mihi male conscius, Deus non arguet.

Coram angelo.

Quia Deus hunc populum rexit mediantibus i) angelis, ut ad Galatas dicitur, Legem ordinatam per Angelos in manu mediatoris. Et Moses ad populum: Angelus praecedet te illic, inquit, commendans illis angelum rectorem populi; secundum hunc morem loquitur Salomon, ne dicas coram angelo etc. scilicet quem Deus dedit rectorem nostrum. Idem ergo est coram angelo, atque coram Deo. Ne Deus ira-

---

g) Contemptus peccatorum. h) Sigaion. i) Angelorum ministerium.

Deum, nisi sis munitus timore Dei, et cognitione veritatis, quia videbis calumnias pauperum, et subverti judicia. Hic murmurabis, quam injusta ista fiunt m); inquies, ubi est Deus? Cur haec patitur? Adversus has cogitationes et scandala confirmat nos. Tu, inquit, time Deum, et cogita: Es hat seinen Richter; si non potes emendare judicem, cogita hunc esse cursum mundi, et quod nemo praestare possit, ut omnes judices justi sint, solius est hoc Dei et Regis summi.

Non intelligunt haec, nisi qui fuerunt in administratione publica. Ego vidi et expertus sum in monasterio, quam ibi multi iniqui praeficiantur gerendis rebus seu officiis, quod tamen non potest emendari. Sic Stupitius n) noster, cum vellet ac cuperet omnibus officiis optimos praeficere, non tamen potuit. Man muß (ajebat) mit den Pferden pflügen, die man hat. Qui non habet equos, arat bobus, juxta proverbium. Sic est in rebus humanis. Est aliquando bonus princeps, sed non potest emendare omnes judices, neque praestare ut omnes praesides et judices boni et justi sint, et tamen cogitur habere magistratus. Sic sapientes solliciti sunt et curant, ut plebs bonis legibus instituta sit et obtemperans, sed illa murmurat, conqueritur de vi et judicum iniquitate etc.

Cum talia vides, cogita has esse vanitates mundi, neque fuge e mundo, ut Monachi, in desertum o). Nam hi perinde fecerunt ac agricola, qui, cum habeat feroces equos, velit eos relinquere, qui

---

m) Injustitia in hoc saeculo non potest corrigi. (1536).
n) Stupitius. o) Ferenda mala, quae curari non possunt.

tamen sua assiduitate ac diligentia agere debebat, ne sic ferociant. Sic sunt quidam patresfamilias rigidissimi exactores operum, qui tamen nihil efficiunt, nisi quod omnia perturbant sua iniquitate. Celebre fertur hoc dictum Imperatoris Friderici Tertii p): Qui nescit dissimulare, nescit imperare; adde: Qui nescit dissimulare, nescit vivere. Si vis vivere in mundo, disce hoc videre.

Ergo nihil agendum? Minime. Agendum et laborandum est, sed quod non potes efficere, dissimula, Sic oportet prudentem patremfamilias multa dissimulare, et ignorare, quae offendunt. Neque enim fieri potest, ut omnia recte agantur sine injustitia. Docet itaque hic liber quietem et pacem cordis in rebus hujus vitae, ut, cum audis sive vides mala, non indigneris, sed dicas: Hic est casus et cursus mundi. Es gehet hie nicht anders zu. Rursus cum vides bona, dicas: Benedictus Deus, qui sic gubernat res, ut non sinat sola mala fieri seu geri, sed immiscet malis bona. Fac quod potes, reliquum committe Deo, et patere, juxta proverbium: Wer einen schweren Stein nicht heben kann, der laß ihn liegen, et levet hoc saxum quod potest. Quare ubi videris mala in principibus, magistratus abuti accepta potestate, judices impie judicare, plebem murmurare, sapientes disputare etc. cogita: Deus ista corriget.

Non perturbet te hoc negotium.

Vult pacare cor nostrum. Noli, inquit, mirari si videris talia, sondern sei zufrieden. Tu ista non

---

p) Dictum Frid. 3. 1536: Dissimulare magistratui necessarium.

corriges, nec enim poteris juvare neque consulere rebus. Quare Deum time, et huic committe, sic habebis pacem. Qui istud non facit, nihil habet quam afflictionem.

Quia excelsus quispiam est custos supra excelsum.

Id est, ne tu crucieris, si mutare nequis, relinque judici superiori. Quod non potest inferior, cogitet [84]) pertinere ad superiorem. Si princeps est malus, defer ad superiorem principem Deum. Sic si ego valde me vexem propter Sacramentarios et sectas, qui conturbant Ecclesiam Dei, et Evangelium contaminant, quid efficiam? Ergo committo rem Deo judici, in cujus manu sunt omnia. Quamquam ego doleo, sic misere decipi animas et seduci, sed amplius nihil possum, nisi quod pro meo officio illis resisto, et dico: Desine, satis erratum est, resipisce. Ubi sic consuluisti alteri, deinde committe Deo, juxta Pauli sententiam q): Haereticum hominem post unam et alteram admonitionem devita etc. Item impii homines semper proficiunt in pejus, neque effugient judicem. Ein Jeglicher hat seinen Richter. Wo es der Schosser nicht thut, so thuts der Amptmann oder Hauptmann. Etsi hoc non judicat, judicat princeps. Quod etsi princeps negligat, faciet Caesar; si contemnet [85]) Caesar, non contemnet neque negliget Deus. Hoc est, quod dicit: Supra hos praeterea rex praeest universae terrae. Non

---

q) Tit. 3.

84) cogites. 85) contemnat.

habuit Salomon majorem magistratum, quam regem; Laß es den König ausrichten, quod tu non potes.

Ad excolendam regionem.

Videtur hoc esse epitheton magistratus regii, quo significatur, cui officio praeficiatur, et quod sit opus potestatis saecularis. Ad haec, inquit, est institutus magistratus, ut colat terram, ut vindicet injurias et mala inferiorum [r]). Rex habet gladium, ut tueatur innocentes et puniat nocentes. Neque sinit Deus maleficium in terra, quod non puniat per magistratus; si inferior non facit, facit tamen superior, id est, venit tandem in potestatem gladii. Pulchrum est autem regem appellari cultorem terrae [s]), quod non tantum significat agriculturae studia, sed conservationem totius politiae, quae fit legibus, judiciis etc. Regis enim est tam tueri, quam alere et parare res et opes humanas. Agricultura parat res, militia seu gladius tuetur, coërcet nocentes, ut alii possint colere et agere, quae debent. Sic situm est in rege, tam ut parentur res, quam ut conserventur, nam nisi ipse defendat, non possunt alii terram colere. Sic itaque confirmat nos adversus scandala, et simul docet, quod nostra consilia sint vana. Ego, inquit, rex divina voluntate sum, etsi non possum corrigere, tamen facio quae possum, reliqua tolerare cogor, ne tota terra fiat vasta, commendans interim superiori judici Deo, cujus est omnis potestas gladii. Sic faciant et alii, in suo quisque officio quod potest, reliqua committant superiori potestati.

---

r) Magistrat. officium. s) Rex cultor terrae.

Cupidus argenti non saturatur argento, et qui amat divitias, non capiet ex eis fructum. Id ergo vanum est. Ubi multae sunt opes, multi sunt, qui comedunt eas. Et quid prosunt Domino earum, nisi quod intuetur eos oculis suis?

Hoc pertinet ad ea, quae capite primo dixerat. Auris non exsaturatur[86]) audiendo, nec oculus videndo. Tractatur enim hic vanitas cordis et humanarum cupiditatum. Alexandro t) non satis est unus mundus. Sic in omnibus aliis negotiis, honoribus, opibus etc. Sic enim ordinata est misera vita humana, ut avarus sit exemplo omnibus u). Habet pecunias, et tamen non saturatur, imo praesentibus illis non fruitur, tantum sitit aliam nondum praesentem pecuniam. Quid ergo est avarus, nisi cor distentum in hoc quod non habet, et aversum ab eo quod habet? Ergo vanitas est cordis. Nonne praestaret contentum praesentibus futurorum curam abjicere? Milites v) sunt feliciores avaris, cum tamen sint omnibus vitiis pleni et flagitiosissimi et vivant durissime. Alioqui enim omnes homines sunt avari, nisi tales, in quibus alia paria vitia hoc exstinguunt. Sed soli pii habent hoc beneficium, quod sunt contenti praesentibus w), et illis quoque cum gratiarum actione et gaudio utuntur. Avarus non habet majus os, ventrem etc., paupere pio, nec plus digerit, et tamen hic paucis contentus, imo dives

---

t) Alexander. u) Avarus. v) Milites. w) Pii praesentibus contenti.

86) saturatur.

est, ille in mediis divitiis egens et cupidus. Dicuntur haec quidem et monentur salubriter ac pie, sed caro secure contemnit, quidquid dixeris seu feceris.

Ubi multae sunt opes etc.

Egregia sententia. Avarus non impletur, sed congregat. Cui? Tenax requirit prodigum. Nam tametsi ingentem pecuniae vim habeat, ea tamen ipso vivente sive mortuo consumitur, neque quidquam inde habet, quam laborem et dolorem. Rex Salomon habet domos plenas auri et argenti, sed quis bono illo utitur? Aulici. Ipse vero tantum inde vestitur et edit. Quis in principum aulis utitur bonis principum? Equites, scribae, thrasones et egregii nebulones. Congregare x) vero [87]) divitias est congregare multos devoratores. Quid ergo sic te affligis corradendo omnia? Sis contentus eo quod habes; sin autem congregas opes, non venient sine hospitibus devoratoribus, si non in vita, certe post mortem. Nihil praeterea habes ex omnibus tuis bonis, quam ut os et ventrem impleas et corpus vestias. Si vero affluent [88]) divitiae, utere tua portione, reliqua permitte aliis, et pone curas colligendi et corradendi. Quod si non feceris, tamen fiet. Quia hic audis, ubi multae sunt opes, multi sunt, qui comedunt eas.

Et quid prodest domino earum etc.

Egregia irrisio avaritiae. Horatianum y) est: Congestis undique saccis Indormis inhians, et tan-

x) Congregare divitias. y) Horatius. 1536: Avari miseria.

87) ergo 1532. 88) affluant (1532).

quam parcere sacris Cogeris, et pictis tanquam gaudere tabellis. Idem: Magnas inter opes inops. Eandem prorsus sententiam Salomon habet. Avarus hoc solum habet bonum, quod inspicit florenos, ut ego tabulam pictam, praeterea nihil inde habet. Avarus non potest uti pecuniis eo usu, in quem sunt conditae, nempe ut edat, bibat, vestiat ipse, ac de reliquo serviat aliis. In hoc enim crescit vinum, frumentum, venit aurum, argentum etc. ut sic eis utamur. Verum caro nihil curat, imo contemnit et sequitur suas cupiditates. Quare et hoc consequitur, ut vitam ducat miserrimam, sine quiete ac pace.

Dulcis est somnus laboranti, sive parum sive multum ederit. Saturitas divitis non sinit eum dormire.

Pergit Salomon damnare divitias, id est, curas et studia congregandarum et conservandarum divitiarum. Quanto enim magis avarus [z]) congregat divitias, tanto magis irritatur illius animus seu cupiditas. Semper avarus eget, et inter opes est inops. Imo avaritia tale monstrum est (inquit Sallustius), quod neque copia, neque inopia minuitur, et ut ille [a]) ait: Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Inter has calamitates avari enumerat et aliam. Etiamsi saturetur avarus, tamen non potest dormire. Ita omnibus modis misera est vita avari [b]), ut neque die, neque nocte quietem habeat. Natura autem sic comparatum est, ut corpus temperanter

z) Avarus. 1536: Avaro nihil pauperius. a) Juvenalis. b) Vita avari.

refectum dulciter dormiat et quiescat. Nam ebrii c) neque dormiunt neque vigilant, neque mortui neque vivi. Et qui exercetur moderato labore, facile et suaviter quiescit, etiamsi parum habet quod edat, sicut dictum est d): Exibit homo ad opus suum usque ad vesperam. Avari autem in medias usque noctes protrahunt laborem, et corpus fatigant et frangunt. Corpus autem avari obrutum cibis et fractum laboribus, animus vero curis, non sinit eum dormire.

Itaque cum dicit Salomon: Laboranti, jubet laborare, nec vetat parare divitias e). Et cum ait: Dulcis somnus, exigit temperatum laborem, qui exerceat corpus, non frangat. Laborem itaque exigit, cupiditatem et curam damnat, quia benedictio Domini divites facit. Immensus labor non facit divites, ut Psal. 89) [126] 127 90) f): Vanum est vobis ante lucem surgere etc. Item, dabit dilectis suis somno. Sic Abraham, Isaac, Jacob, David, Salomon facti sunt divites, dante et benedicente Deo. Divitiis autem sic sunt usi, ut et alios eisdem juverint. Quare non sunt abjiciendae divitiae, non ponendi magistratus, sicut Epicurus docuit, non abjicienda uxor, non abigenda familia, sed est laborandum et patiendum. In mediis rebus nobis versandum est, non res abjiciendae, sed perpetiendum quidquid Deus dederit g). Ubi Deus te constituit, maneto, tantum ne res tuo consilio gubernare velis. Quidquid tibi mali non acciderit, pro lucro reputa.

---

c) Ebrii. d) Psalm. 104. e) Proverb. II. 1536: Divitias parare non est impium. f) Psalm. 127. g) Fugiendae non res, sed curae carnis. 1536.

89) „Psal" deest. 90) 1532 u. 1536: 126.

Sic enim habet haec vita, ut mala in dies nobis exspectanda sint, bona vero extra exspectationem sint et veniant. Ubi vero veniunt, gratiae agendae Deo tanquam de singulari beneficio. Si contigit pudica uxor, si obtemperantes filii, gratiae agendae[91]) Deo. Si magistratus aliquando bene et digne administrat rempublicam, si ager reddit sementem etc., omnia pro lucro reputa. Ubi vero contrarium contigerit, ne te rumpe.

Sic[92]) ergo non vult Salomon nos transferre de rebus, sed in eas mergere, ne Salomonem faciamus Cratem aut Diogenem, stultos contemptores divitiarum et mundi h). Impium enim philosophorum verbum est λάθε βιώσας i). Cum enim viderent injuste hunc mundum et res administrari, censuerunt optimum esse vivere solitarie, et non se immiscere rebus neque publicis negotiis, ne cogerentur tam injusta videre et ferre. Fuit enim haec sententia Salomonis de utendis et ferendis rebus omnibus philosophis abscondita et ignota; nos vero habentes Salomonem doctorem, quod possumus, faciamus, quod non possumus, sinamus praeterlabi.

Vidi malam miseriam sub sole, quod divitiae asservatae sunt perniciosae ipsi Domino, et pereunt divitiae cum magna calamitate, sic ut nihil inde perveniat ad haeredem ex illo natum.

Etiam haec est vanissima miseria in vita hu-

h) Crates, Diogenes stulti contemptores divitiarum.
i) Vive sic, ut nemo sciat te vixisse, philosophi, sed impium verbum (1536).

91) gratias ago (1532). 92) 1536: Si.

mana, non quidem omnibus commune malum, sed tamen quod ob oculos versatur, divitias scilicet servari in perniciem Domini et congregatoris. Queritur k) enim Salomo non tantum in talibus esse afflictionem, sed etiam videre talia in mundo, etiamsi ipse ab his sis liber. Quot enim nostro saeculo occulte occisi sunt in propriis domibus ob divitias? Nonne nostra aetate Bavariae dux l) habuit magnam vim auri, turrim totam plenam m). Sed hoc aurum conciliavit duci bellum, et toti terrae calamitatem. Et vix ulli principes reliquerunt magnas opes, nisi in perniciem totius patriae. Sicut [93]) Julius Caesar n) aerarium Romanum in perniciem urbis vertit. Episcopi nostri congregaverunt thesauros o), sed tantum in malum, quia nulli inde serviebant, ea res excitavit rusticos. Nunc pergunt congregare et deglubere populum, sed non prius desinent, quam veniant qui et illa auferant, cum ipsorum pernicie.

Num projiciendae ergo divitiae? Minime, imo sunt parandae maxime a principibus, sed ita, ut fruamur et juvemus alios. Quod quia non fit, ideo Deus in poenam sinit ipsas opes, quibus confidunt, esse exitio suis dominis p). Sic Ezechiel q) contra impios Judaeos et avaros vaticinatur: Manum pauperi non porrigebant, captivi ergo ducentur, et peribunt ipsi cum divitiis. Idem contingit nostris divitibus avaris, Episcopis, et contemptoribus Evangelii, quia nolunt suum aurum et divitias usui esse

k) Quaeritur (1532). l) Dux Georg. Bavariae. m) Aurum pernicies reipublicae. n) Julius Caesar. o) Thesauri Episcoporum. p) Divitiarum usus. q) Ezech. 18.

93) Sic.

egenis, venient milites et fiscus, et tollent, quod non accipit Christus[r]). Pereunt cum magna calamitate. Ipse patitur magnam miseriam, quotidie periclitatur, domi a furibus, foris a latronibus, capitur, occiditur. Norunt hanc cantilenam mercatores.

Et filius ex eo natus nihil possidebit ex eis.

Ratio, quia Sodoma et Gomorra habent opes, sed non porrigunt manus pauperi; ideo etiam subvertit illos Dominus etc. Avarus congregat, alius perdet quae congregata sunt. Cogitat avarus: Filius meus habebit has opes, sed ecce Deus immittit latrones aut fures, qui illum omnibus opibus evertant, ut nec ipse nec filius aliquid reliqui habeat. Quare labori instandum, sed exspectanda benedictio Domini, et porrigenda manus pauperi, imo omnis labor noster esse debet, ut in vindemia seu messe canentium et laborantium, ut in mediis laboribus et sudoribus laetemur, et sic affecti simus, ut etiam aequo animo omnia possimus amittere, sic cogitantes: Ego quidem laboro[94]) pro me et liberis, si quid Deus dederit, utemur; si quid reliquum fuerit, habeat[95]) post me filius, si nihil, alet eum Deus, sicut et[96]) me aluit.

Sicut nudus egressus est ex utero matris, sic nudus redibit, nec quidquam auferet secum de labore suo. Hoc vanum et miserum est, sicut veniunt, ita rursum omnes

---

r) Quod non accipit Christus etc.

94) laborabo (1532). 95) habet. 96) „et" deest 1532.

abeunt, et quid prodest ei quod in ventum laboravit?

Hoc est et in Hiob capite primo: Nudus egressus sum de utero etc. Item in Paulo 1. Timoth. 6.[s]) Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum, neque quidquam auferemus. Nihil amplius potest gloriari vel ditissimus, nisi quod inde ederit et biberit dum vixit etc. Cum ergo nihil auferamus nobiscum, impartiamur aliis, utamur divitiis sicut aqua profluente, sicut aëre. Cogitemus sic. Sicut deseram moriens, sic desero vivens divitias, quid ergo eas tanta cura congregem, cum nihil possimus habere nisi buccellam quandam? Aqua sic utor, lavo me, lavant et alii. Was wir nicht durfen, lassen wir fließen. Sic igne, sic aëre utimur. Et divitiis sic est utendum; ut tantum sis administrator.

Quid prodest ei, quod in ventum laboravit?

Laborare in ventum[t]), hebraica phrasis est, quam imitatus est Paulus 1. Corinth. 9[u]): Non sic pugno, quasi aërem verberans. Et 1. Corinth. 14[v]): Eritis loquentes in ventum. Significat autem idem, quod frustra[97]) laborat. Es ist verloren Arbeit.

Omnibus vitae suae diebus in tenebris comedit, cum multa molestia et aegritudine et ira.

Iterum phrasis hebraica: In tenebris come-

s) 1. Tim. 6. t) Laborare in ventum. u) 1. Corin. 9. v) 1. Corin. 14.

97) 1532: + loqui. Sic inquit Salomon: Avarus laboravit in ventum, id est, frustra.

dit w) [98]. Sumptum autem est a gestu et vultu hominum. Quando enim cor est triste, tunc oculi obducuntur quasi nube quadam, quando vero laetum, quasi radiis quibusdam ac novo lumine illustratur. Frequens autem est phrasis ista in Psal., lumen x) pro laetitia, tenebras y) pro tristitia accipi, ut Psal. 27: Dominus illuminatio mea et salus mea. Item: Illumina oculos meos etc. Comedere ergo in tenebris est in tristitia laborare. Artifex avarus, imo omnis avarus perpetuo invenit, quod displiceat, quod objurget, quia est plenus curis et sollicitudinibus. Non potest laetus comedere panem, semper jurgatur, semper invenit in familia quod dolet. Sic ad principem et magistratum referuntur non nisi malae causae, ibi imprudens magistratus sese discruciat, et curis [99]) conficit, quia non videt succedere sua studia et conatus. Prudens vero sic dicit: Consulo et ago quantum possum, quod vero corrigere non possum, fero, et ferre cogor, permittens interim Deo, qui solus novit omnia pro sua voluntate corrigere, et nostris consiliis successum dare.

Sic et nobis molestum est audire in tanto numero praedicatorum, tam paucos esse fideles ac bonos, et quibus res cordi sit. Sed quid faciemus? indignabimur ad haec et moerore nos conficiemus? Nihilo plus efficiemus. Tradimus autem causam Deo etc. Assuefaciendi ergo sunt aures et oculi audire et videre mala, quae nolumus. Neque cogitemus ea nos velle videre seu audire, quae nos delectant bona. Mundus hic talia non fert. Qui nus-

w) Comedere in tenebris. x) Lumen. y) Tenebrae.
98) 1532: † pro in tristitia comedit. 99) crucis.

quam vult offendi, plus omnibus inveniet, quae offendent. Quare simus sic adversus omnia mala muniti, ut sciamus hunc esse cursum hujus vitae etc.

Hoc ergo video bonum esse, comedere et bibere et frui laetitia in omni labore, quo quis laborat sub sole per dies vitae suae, quos dedit ei Deus. Nam haec pars ejus est. Sed hoc donum Dei est, cum dederit Deus homini divitias, et substantiam, et potentiam, ut comedat ex illis et bibat pro sua parte, et fruatur laetitia in labore suo. Is enim non anxie recordatur de diebus vitae suae, quia Deus implet laetitia cor ejus.

Haec est conclusio totius hujus libri seu disputationis, superius capite 2 et 3 quoque posita, et vides[100]), Salomonem non damnare opes, neque vetare ut paremus opes, aut cibum, aut potum, sed vocat ea dona Dei, ut doceat nos deponere nostras curas, ut haec omnia a Deo per fidem exspectemus, et cum vult Deus, patienter amittamus, sicut Abraham patienter[101]) reddebat Deo filium. Non sunt itaque projiciendae opes, neque enim haec[102]) a Deo dantur, ut abjiciamus, vel abstineamus ab illis, sed magis ut utamur et largiamur indigentibus. Haec sententia interpres est totius hujus libri, quod Salomon velit prohibere vanas curas, ut laeti fruamur praesentibus[z]), nihil solliciti de futuris, ne

z) Praesentibus utendum. (1536).

100) Hic (1532). 101) „patienter" deest 1532. 102) 1532: hoc.

praesens et nostrum momentum sinamus elabi. Nam hoc pars ejus est etc. id est: Das hat er davon. Non enim recordatur de diebus vitae suae. Hoc est, non distenditur cor ejus cura et sollicitudinibus, neque de praeteritis neque de futuris.

Quia Deus perfundit[103]) cor ejus laetitia.

Sic habet hic gaudium in labore, et hic ingreditur in mediis malis in paradisum. Caeterum impii et avari, et quotquot non hoc exemplo utuntur rebus hujus vitae, incipiunt hic torqueri et detrudi in infernum etc.

Caput sextum.

Est et hoc malum sub sole, idque frequens apud homines. Est aliquis, cui Deus divitias dedit, et substantiam, et gloriam, et nihil deest animae ejus omnium, quae desiderantur. Et non permittit eum Deus illis frui; nam alienus comedit. Hoc certe vanum est et aerumnosum.

Post interseritam doctrinam vel exhortationem redit ad catalogum suum variorum studiorum humanae vitae, in quibus regnat vanitas et miseria. Videtur autem[104]) simile superiori, quod hic recenset de divite. Verum hic loquitur de eo divite[105]), qui retinet maximas opes et familiam, in pace vivens, sine jactura et damno rerum suarum, et in ipsis opibus et summis honoribus, tamen cruciatur, et frui non potest, quia aut infirmitas intervenit, aut

---

103) „profundit. 104) + aut. 105) „Verum hic ... divite" deest 1536.

odium impedit et cura servandarum et augendarum rerum. Ita illis ipsis, quae habet, torquetur et perit a). Si nascitur filius, jam altera cura, quomodo illi quam plurimum faciat et relinquat, praesertim ubi jam grandis est, quia ut vulgo dicitur: Parvi filii, parva cura b), magni filii, magna cura. Cumulant filiis, cupiunt locupletes relinquere, summis etiam honoribus augere. Haec enim sunt vota et cupiditates omnium hominum, quae tamen sunt vanissimae. Quid est enim vivum hominem omnia habere, et tamen nulla re uti, sed semper distendi in futura et ea quae non adsunt, praesentibus neglectis. Describit ergo divitem, cui nihil deest, ut possit bene et jucunde vivere, et non facit. Vide multos nostros nobiles, qui domi possent commode vivere, in suis agris abunde possidentes, verum non contenti, pergunt in aulas principum, majora exspectant viventes miserrime. Idem in divitibus et mercatoribus videre licet, qui cum et ipsi domi possent tranquille vivere, magno tum vitae periculo tum bonorum jactura peregrinantur aut navigant. Nonne hoc vanum et aerumnosum est? Ideo etiam sequitur:

Si genuerit centum filios, et annis multis vixerit, et magnas opes habuerit diebus vitae suae, et tamen anima ejus non fuerit bonis saturata, et ne sepulturam quidem consequatur etc. 106).

Exaggerat miseriam divitis avari. Nemo in-

a) Divitum cura. (1536). b) Parvi filii, parva cura.

106) 1532 † Dixi abortivum melius esse quam talis sit. Venit enim in vanitate, et abibit in tenebris, et nomen ejus tenebris obtegetur.

quit, cogitet parsimonia sua haeredes locupletare. Sunt enim divitiae Dei donum, et non nostrorum laborum. Multi enim anxie laborant pro consequendis divitiis, et tamen non consequuntur; rursus multi ditescunt, neque tamen anxie quaesierunt, ut prorsus agnoscas donum Dei esse divitias. Neque tuarum virium est hunc aut illum haeredem locupletare c). Es heißt arme Leut sollen nicht reich sein. Feceris quidquid voles, non locupletabis, quem Deus vult esse pauperem. Deinde et hoc fieri potest, ut avarus hic dives non moriatur in suis opibus, sed omnibus privetur etc.

Atque etiam [107]) sepulcro careat.

Pergit exaggerare miseriam; id est, ejiciatur a suis, aut alibi moriatur, non domi suae.

Dixi abortivum melius esse quam talis sit.

Id est, satius erat non esse, quam sic esse miserum, et in maximis opibus inopem. Hoc verum est seclusa pietate. Compara enim vitam divitis avari et infelicis cum eo, qui nondum natus est, et ita senties. Neque loquitur more stultorum, seu non induit personam stulti Salomon, ut illi dicunt, sed vitam stultorum in externo opere hic tractat. Ibi re vera, inquit, melius est non nasci, quam sic vivere, habere scilicet divitias, gloriam, libros [108]), vitae longitudinem, et non frui tamen. Vere itaque de misero divite hoc intelligitur, qui habet quidem ea quae ad felicitatem pertinent, sed infelix animus

---

c) Parsimonia non locupletantur haeredes (1536.)

107) 1536 † in. 108) liberos (1532).

non sinit his uti. Pauper certe, qui aequo animo fert suam fortunam, melior divite est. Cantabit enim vacuus coram latrone viator d). Dives vero timet ad omnia rubeta, estque in summa felicitate pauperrimus e). Vere itaque mundus regitur opinionibus. Deus regit rebus, nos vexamur opinionibus et amittimus res, quemadmodum canis ille Aesopicus.

Venit[109]) in vanitate, et abibit in tenebris.

Id est, nudus, vacuus, egenus venit in mundum. Sic vivit, sic moritur. Quia non fruitur rebus, sed solum distenditur et vexatur futuris. Hoc vero nihil aliud est, quam nihil habere, et esse vacuum et egenum.

Et nomen ejus in tenebris obruetur.

Id est: Nihil dignum gerit neque memorabile, ne quidem apud familiam suam, nisi quod dicitur de eo, neque sibi neque aliis vixit. Miserabilis vir, quem nemo imitari velit.

Etiam solem non videt, nec quiescere novit, hic aut alibi.

Hebraicum est: Videre solem f), pro frui rebus et gaudere, quia vita haec corporalis habet solem ceu numen quoddam sacratissimum, et mortalibus summe necessarium, sine quo omnia tristia apparent et sunt, ut Christus quoque inquit: Qui am-

---

d) Iuvenalis. e) Dives in mediis divitiis pauper. 1536. f) Videre solem.

109) † enim 1532.

bulat in tenebris, nescit quo vadat; qui vero in die ambulat, non offendit, quia videt lucem hujus mundi etc. Jucundissima igitur res est, lucere solem. Verum avarus g) non intuetur lucem, non considerat solem, id est, non cogitat quam bona res lux sit, sed nec videt ullam creaturam, ut illa [110]) fruatur et bene utatur. Perit enim apud illum omnis consideratio beneficiorum et creaturarum rerum [111]) Dei, prae suis cupiditatibus, nunquam videt quam egregium Dei donum sit, sol quotidie oriens. Nihil cogitat, miratur, nihil suspirat, nisi pecuniam. Sic ambitiosus h) nihil spectat, nisi honores. Amans i) non videt suam uxorem sed semper alienam. Hoc est, praesentibus bonis creaturis non fruuntur. Sic impii incipiunt suum infernum in hac vita k), qua privantur usu omnium creaturarum et donorum Dei, ut nunquam videant solem, quem tamen quotidie habemus etc. Id est, non gaudent in donis Dei, semper spectant in [112]) alia.

Quod si vixerit bis mille annis, nec tamen bene sit ei, nonne omnia vadunt ad unum locum?

Vide ut exaggeret illam miseriam avari, id est, nihil fiet huic homini, nisi quod quantum prolongatur ejus [113]) vita, tantum etiam cumulatur et prolongatur ei miseriarum et calamitatum. Haec est vita humana, mera vanitas et miseria, vel quam

---

g) Avarus. h) Ambitiosus. i) Amans. k) Impiorum infernus in hac vita (1536).

110) ea. 1532. 111) „rerum" deest. 112) „in" deest 1532. 113) „ejus" deest 1532.

ipse experiaris, vel quam in aliis videas. Nam et sancti, quamvis non vivant secundum carnem, tamen vexantur a carne, et coguntur sentire carnis vanitatem.

Nonne omnia vadunt etc.

Repetit quod supra capite primo l) dixerat. Sol oritur et occidit, et ad locum suum oritur. Flumina ad locum, unde manant, redeunt, generatio praeterit etc. Es gehet alles dahin, da es herkommen ist, omnia tandem intereunt. Vita humana, regna, et quidquid est hominum, redit eo unde venit, ex terra in terram, quemadmodum ventus flat et reflat, et sicut recurrit sol ad suos ortus. Hoc ergo vult Salomon, omittendam esse curam et anxietatem rerum futurarum et parandarum, fruendum vero praesentibus. Ideo pergit:

Omnibus hominibus labor pro suo cujusque modo dimensus est, verum anima non saturatur.

Hebraice est, omnis labor hominis secundum os ejus m), phrasi illis propria. Sic Moses utitur hoc vocabulo os pro modo vel mensura. Gen. 47. n) de Joseph: Et alebat eos omnemque domum patris sui, praebens cibaria singulis, ubi Hebraicum est: et curans juxta os curabat eos, id est, providebat totam domum patris sui more parvulorum, quibus nihil etiam laborantibus praebentur cibaria. Et Exodi 12. o): Juxta os singulorum comedetis phase,

l) Cap. I. supra. m) Secundum os ejus. n) Gen. 47. o) Exod. 12.

id est, secundum mensuram eorum, qui possunt edere agnum. Sic et hic Salomon, omnium labor est secundum os, id est, secundum modum [114]) seu dimensum ipsorum p), hoc est, certum laborem habet quisque homo. Deus tribuit hominibus singulis suum laborem, pro suis viribus, secundum suam vocationem. Quod nos sic germanice: Ein Iglicher hat sein bescheiden Theil. Unicuique mensus est Deus suam portionem; aliter puer, aliter vir, aliter magistratus, aliter privatus debet laborare, te velut infantem vult infantilibus [115]) exerceri officiis seu laboribus, principem vero arduis [116]), magnis. Hinc enim est illud vulgi: Qualis persona, tale et dabitur perizoma.

Sic ergo revocat nos a curis alienis ad nostra studia. Neque vetat laborare, imo laborandum esse declarat, sed vult, ut laetus agas tuum negotium, juxta pensum tuum, et aliena aliis relinquas, et vult nos frui voluptate, sed in Deo, ne scilicet diffluamus cum impiis, cum adest voluptas, neque doleamus dum abest, sed aequo animo feramus. Sis, inquit, animo laetus, et corpore laboriosus, ita tamen, ut in tuo dimenso permaneas q), non ut invidus, qui sequitur aliena. Mercator laudat militem, miles numerat suas infelicitates et laudat mercatorem, senes juventutem, a nostris valde jucundis avertimus oculos, et cum magna miseria intendimus in aliena. Nemo potest sua bona considerare, nec sua esse sorte contentus, quod si [117]) considerarent,

p) Os, id est, mensura. q) Sorte sua contentus (1536).
114) „modum“ deest. 115) infantibus. 116) † et 1532. 117) † se 1532.

non sic affectarent aliena. Nam senes, si viderent juventutis pericula, non optarent juventutem, contra juvenes videntes tam multa senectutis incommoda, libenter ferrent sua incommoda, neque inviderent, si quae senectus habet commoda etc.

Verum hoc non facimus, semper spectamus aliena, et contemnimus nostra, sic dives avarus, quod non habet, spectat et cupit, quod habet negligit. Anima enim non saturatur, id est, non manet in suo dimenso opere. Nemo est sorte sua contentus. Spectator ludi semper putat se melius lusurum esse. Si audio alium praedicantem, cogito me multis modis posse illum vincere. Servus similiter cogitat. Si ego rex essem, prudentissime administrarem omnia. Sic Terentianus ille: Me regem esse oportuit, cui si regnum mandaretur, nemo illo esset stultior. Es heißt aber: Gott gebe dem den Ritten, der es besser macht, denn er kann. Verum anima negligit suum opus, et in alieno est occupatissima, ita neutrum recte facit. Nam qui sua non curat, pessime curabit aliena, deus dedit mihi, ne sim otiosus, sed ecce desero meum opus, et negotiosus fio in alieno opere. Hoc est vere, quod supra dixit: Oculus non saturatur videndo etc. Sic etiam non saturatur cor seu anima affectando, sed semper est inconstans et vaga.

Neque enim melius est sapienti quam stulto, nec prodest pauperi quod scit ambulare coram viventibus.

Id est: tam sapientes, quam stultos vexat cupiditas extra demensum laborem, neque differunt sapientes a stultis. Immoderata enim cupiunt utri-

que, et utrosque rapit cupido alienarum rerum. Sapientes r) autem intelligit, non qui vere, sed qui ψυχικῶς sunt sapientes. Stultos s) vero intelligit impios, die losen ruchlosen frechen Leut. Uterque, inquit, habet suum demensum laborem, extra quem nihil efficient. Einer wirds, so weit bringen, als der ander. Potest ergo alter quidem cogitare seu dicere, multa se effecturum, si esset in magistratu, verum si esset magistratus, nihilo plus efficeret, quam efficit is, quem nunc judicat et damnat. Idem est quod sequitur:

Nec prodest pauperi etc.

Viventes t) intelligit ut supra, non solum qui habent vitam, sed qui fruuntur vita, id est, qui bene et suaviter vivunt. Ait ergo: Stultum est, privatos homines praescribere aliis, quomodo debeant omnia ordinare et gerere, somniantes se melius omnia curaturos, quia tamen nihil aliud fit, quam fieri debet.

Melior est aspectus oculorum, quam vagari animam; id enim vanum est et afflictio spiritus.

Hoc totum Hebraica locutio est, nobis omnibus[118]) inusitata. Hebraica vox proprie speculum significat, hoc est, rem quae offertur oculis, sive sub aspectum oculorum. Sic enim Exod. 38. u): Fecit et labrum aëneum cum basi sua de speculis mulierum, quae cubabant in ostio tabernaculi. Hoc

---

r) Sapientes. s) Stulti. t) Viventes. u) Exod. 38.
118) omnino 1532.

sic vertendum erat, Hebr.: Fecit et labrum etc. sub aspectu exercituum, quae militabant ante ostium tabernaculi testimonii. Quia iste populus habebat mulieres votarias v), quae insistebant orationibus et precationibus, et serviebant Deo, ac militabant die ac nocte, sicut 1. Regum 2. et Lucae 2. w) Anna x) scribitur militasse. Ab hac militia dicebantur mulieres exercitus domini, militans ante ostium testimonii. Post vero labente tempore cecidit religio, et ut dicit Judas, versa est in lasciviam, ita de uxore Jacob Rachel dicitur: Fuit decora speculo, id est, aspectu, sie war schön anzusehen.

Est ergo sensus: Melius est frui his, quae in conspectu ob oculos praesto sunt, quam vagari animam, id est: utere praesentibus y), et noli vagari cupiendo, sicut canis Aesopicus cupit umbram, praesentes carnes amittit; hoc quod Dominus tanquam in conspectu tibi dedit, eo utere, ac sis contentus, et noli sequi tuam animam, quae non impletur, ut et ante dixerat. Aspectum ergo oculorum z) intellige, non quem ipsi oculi faciunt, sed quem habent a rebus, ut sit passivus aspectus, id est, hoc quod praesenter tibi tribuitur, eo utere. Sic de Deo dicitur Genes. 1. a). Vidit Deus cuncta quae fecerat etc., id est, laetabatur in suis operibus, haerebat in iis, videt ea, placent ei, sunt valde bona.

Ita qui pius est, etiam sic haeret in suis, et

---

v) Mulieres votariae in lege. w) 1. Reg. 2. Lucae 2. x) Hanna. y) Praesentibus utendum. z) Aspectus oculorum. a) Gen. 1.

placent ei, quae donavit et praesenter tribuit Deus. Impius vero non sic, sed cuncta quae videt sunt afflictio spiritus, quia non utitur iis ut speculo, sed ambulat anima. Si habet pecuniam, non tamen delectatur, non fruitur, sed semper cupit alia, accipit uxorem, cupit aliam, accepit regnum, non est uno contentus. Alexander spectat et cupit alium orbem. Debent autem omnes res esse speculum nobis, ut illis delectemur, ut in illis oculos et aspectum figamus, fruentes his, et gratias Deo agentes. Vetat ergo ambulare animam b) (ut est in Hebraeo), hoc est, vagari cogitationibus et opinionibus rerum, ut sit haec hujus loci conclusio: Utere praesentibus, et noli vagari cupiditatibus. Id enim vanum est, scilicet, ambulare animam.

Quid est illud quod exsistit? Jam nomen ejus vocatum est, et cognoscitur quis sit homo, nec poterit contendere cum eo, quod est robustius se, quia multiplicantur inania verba, et quid amplius efficit homo?

Ex praecedentibus satis hoc intelligitur. Supra enim de hac phrasi diximus: Quid est quod est etc.? In omnibus verbis Hebraismi sunt, quod nos germanice sic dicimus: wie es gangen ist, so gehet es noch, und wie es gehet, so wirds auch gehen, id est, semper erunt homines vanissimi, qui vana cupiant et spectent, quia extra verbum Dei est demensum opus. Neque enim audiunt consilia Dei. Deus discrevit et praeordinavit omnes homines certissimo

b) Ambulare animam.

limite c), quando nascituri, quando morituri, quo nomine appellandi, et quo officio sint functuri, et postquam nati sumus offert illas res praesentes, ut illis sic utamur. Sed homines non contenti ordinatione et consiliis divinis, alia subinde eligunt et cupiunt, sed frustra. Solus enim Deus quod cogitat efficit. Sensus itaque est:

Quid est illud, quod est?

Id est: Quid est homo jam vivens, aut alii, qui post nascentur? Cum homini jam constitutum sit, quid ei evenire debeat, et quod nomen sit consecuturus. Nomen d) autem intellige, quod imponitur ex factis, et quod de homine sit celebrandum; ut Caesaris e), Victor, Catilinae f), Parricida etc. Haec, inquam, nomina sunt praefinita, et ante vocata apud Deum, antequam nasceremur. Sic et definitum est, quod ille sutor, hic parochus, ille concionator etc. futurus est. Si igitur haec omnia et officia et nomina sunt definita et praecognita, quid homo vagatur suis opinionibus, multa conatur et immoderata cupit? Quid ultra demensum agit? Nihil enim efficit, nisi quod se ipsum magis adfliget.

Neque enim poterit contendere cum iis, quae sunt fortiora.

Id est, cum re, quae posita est supra [119]) se, quia: Certa stant omnia lege. Viderunt Ethnici quoque res non geri consilio prudentium, sed hoc dabant fato g) vel etiam Fortunae h), non Deo. Sic

c) Certa stant omnia lege. d) Nomen. e) Caesar. f) Catilina. g) Fatum. h) Fortuna.

119) super.

et Salomo hic respicit in ipsum cursum rerum: wie es zugehet auf der Welt, ibi hoc vidit, homines non posse hoc efficere neque consequi quod cupiunt et conantur. Ratio est, quia res ipsae resistunt, illae nolunt subjici neque regi nostris consiliis, ut, si [120]) contendat et velit perrumpere ac urgere sua consilia, ut fiat quod habet in animo, nihil efficit, res obstat, et Deus impedit. Frustra ergo contra stimulum calcamus i), tanquam si quis capite nitatur perrumpere murum. Nam hoc quod fortius illo est, et supra illum, resistit illius consilio. Ut voluit perrumpere Antonius, cum in Italiam tenderet, et faceret duos filios reges, alterum orientis, alterum occidentis, sed ea re frustratus est. Vide cogitationes Caesaris k), ut ille frustratus est, nec Papae l) successit conatus, quia nomen eorum erat vocatum et definitum, excedebant demensum. Itaque pugnaverunt contra fortiorem se, neque aliud inde consecuti sunt quam dolorem [121]) et angustias ac calamitates.

Cum ergo videas omnia esse certa lege constituta, et nomen et officium tuum, nec tamen eo contentus, contra agis ac niteris, contra fluvium navigas m), neque quidquam efficies, utcunque multa prudenter et consoleris et feceris, nisi quod multiplicabis verba: Es wird nicht mehr daraus, denn daß man davon rede. Sic multa scripsit Plato n), multa item Aristoteles o) de administranda republica et civilibus moribus etc. Sed sunt mera

i) Calcare contra stimulum. k) Caesar. l) Papa. m) Navigare contra fluvium. n) Plato. o) Aristoteles.

120) † quis. 121) dolorum.

verba, et manent verba, ad quae nihil sequitur. Postea cum viderent non succedere, cupierunt aliis et novis consiliis et legibus juvare res, et dicunt: Utinam sic egissemus, scilicet post factum sapientes. Docent itaque tam gentium quam Judaeorum historiae, extra demensum laborem nihil a quoquam sive prudente sive stulto effici posse, nisi quod Judaeorum historiae in verbo Dei factae sunt, et docent nos omnia Dei ordinatione fieri, ideoque tutius est nos illis haerere, alioqui gentium historiae aeque mirae et magnae, sed extra verbum Dei factae sunt.

Quia quis scit quid sit bonum homini in vita per dies vanitatis suae, quos peragit velut umbram? Aut quis indicabit homini[122]), quid sit in posterum eventurum sub sole?

Id est: Nullus homo novit quid sit sibi bonum in vita, nesciunt frui rebus, nesciunt habere pacatum cor. Varia sunt consilia hominum, ille imperium, alius divitias quaerit, et tamen non sciunt, utrum consequantur, nec praesentibus fruuntur, nec futuris. Solum cupiunt hoc bonum, quod non habent nec vident. Generalis est ista conclusio super omnes homines. Nemo novit, quid sibi conducat. Sic Cicero p) et Demosthenes q), cum multa scripsissent de republica, ac eam suis consiliis juvare vellent, infelicissime eam administrarunt. Monachi r) item et papistae volunt regere mundum, et ecce

p) Cicero. q) Demosthenes. r) Monachi.
122) domini.

seducunt ac in gravissima pericula ac profundissimas tenebras immergunt.

Aut quis indicabit homini quid sit venturum? etc.

Non loquitur de eo, quod futurum est post hanc vitam, sed quid post horam et praesentium rerum usum. Ibi nemo novit quid sit eventurum, utrum Antonius s) vivet, utrum victuri sint Brutus t) et Cassius u). Julius v) cum jam succederet, cogitavit de constituendo imperio, sed in ipsis cogitationibus periit. Quare ergo sic cogitationibus vexamur, cum futura sint nullo momento in nostra potestate? Simus itaque contenti praesentibus, et committamus nos in manum Dei, qui solus novit et gubernat praeterita et futura.

Caput septimum.

Bonum nomen praestat optimo oleo, et dies mortis melior est die nativitatis. Melius est ire ad domum luctus, quam ire ad domum convivii. Ibi est omnibus hominibus finis, et qui suaviter vivunt, hi in corde suo expendunt.

Difficilis apparet hic locus propter Hebraeae linguae w) ignorantiam, quae habet sua schemata, quae non possunt intelligi, nisi usu linguae, et videtur nulla consequentia convenire cum praecedentibus. Mihi haec videtur esse hujus loci summa,

s) Antonius. t) Brutus. u) Cassius. v) Caesar. w) Hebraeae linguae.

quod Salomo vult consolari impatientes in istis vanis studiis, sicut solitus est hactenus, postquam recensuit aliquem catalogum vanitatum humanarum, interserere consolationem et exhortationem ad timorem Dei, ut cor nostrum erigat se ad Deum, ut audiamus verbum Dei, ne veloces simus ad loquendum etc. Sic hic [123]) interserit quandam exhortationem, post x) pertextum catalogum, postea [123]) ad eundem rediturus.

Esto igitur iste locus exhortatorius sive consolatorius insertus inter catalogum vanorum studiorum et cupiditatum ad impatientes. In hac enim vita nihil experitur cor humanum, quam offensas et impatientiam, maxime vero ii, qui sunt optimi viri, quia ut supra dixerat: Qui addit scientiam, addit et laborem. Qui multa videt et audit, ille habet magnam occasionem dolendi et indignandi, qui [124]) ea videt et experitur, quibus laeditur cor. Vide Timonem y), qui vertitur in feram, et fit [125]) hostis humani generis, ubi post multa et magna beneficia suis civibus exhibita, nihil ad illum redit nisi invidia et persecutio. Idem posset etiam adhuc aliquis facere, cum nihil habeat ex suis laboribus, quam summam ingratitudinem. Frangitur enim animus, ut nihil velit amplius operari. Haec de optimis viris, qui consultum cupiunt humanis rebus, non de stultis, qui nihil curant sapientiam et res humanas, loquitur Salomo, ut sunt qui in magistratu sunt ac oeconomia. Qui enim administrant rempu-

---

x) Alias recensitum. y) Timon.

123) 1532 † iterum. 124) quia. 125) † Misanthropos 1532.

blicam vel privatam, illi experiuntur fraudem et perfidiam hominum. Et [126]) ea res multos absterruit a publicis officiis. Sic ille Terentianus senex z) fortunatum putat non duxisse uxorem, alter contra: uxorem duxi, quam ibi miseriam vidi, nati filii, altera cura etc. Omnibus his offenditur humanus animus, nisi praemunitus fuerit in [127]) verbo Dei. Quare qui ista viderunt, sic exhortantur: Qui latuit, bene vixit etc. Verum Christiani adhortandi [128]) sunt, ut in media turba vivant, ducant uxores, regant familiam etc. Ubi vero impediuntur eorum studia malitia hominum, ferendum patienter, et non est cessandum a bono opere. Ne deseras aciem sed perdura, ne frangaris molestia aut impatientia, neque vincaris ira. Jucundissima ergo et optima exhortatio, sed quam nemo audit, nisi solus Christianus.

Orditur autem hanc consolationem proverbiis inquiens:

Melius est nomen bonum etc.

Idque more suo. Est enim Salomon proverbiis plenus. Vult autem sic dicere: Tanta jam enumeravi mala vanitatis humanae, ut desperare quis posset, et praeeligere mortem, quam tot calamitates et vanitates videre et ferre, vel omnino abjicere omnem conatum et laborem, et nihil facere, sed non sic, ne desiste, sed perdura. Non sis quasi qui nullum nomen seu famam habiturus sit. Cogita

---

z) Terenti. senex.

126) „Et" deest 1532. 127) „in" deest 1532.

128) exhortandi.

quod famam bonam a) acquires, si permanseris in demenso labore, sive politia, sive oeconomia. Vide quam ignavam vitam illi ducant, qui sibi vivunt. Noli ergo frangi infortuniis, sed obdura adversus haec mala. Melius est enim ut proberis vir, et evadas in magnum virum, aliis in exemplum, tibi in commodum, quam esse stertentem et ignavum, nemini utilem. Nam nomen bonum non contingit stertentibus et ignavis, qui abjiciunt animam, sed strenuis et impigris, die unverdrossen sind, und hindurch dringen. D. Hieronymus b), ut diceretur mundum fugisse, fugit e Roma et turba, ac venit Bethlehem, ut ibi lateret solitarius, et tamen voluit habere nomen, sed non erat animus satis firmus. Erat enim impatientissimus, ac nihil minus, quam virilis animus.

Dicit itaque:

Melius est nomen bonum prae oleo.

Nomen c) hoc loco iterum significat famam. Et hoc proverbium intelligere oportet ex usu rerum Judaicarum. In hoc solo regno nascitur balsamum d), optimum unguentum. Reputabantur vero unguenta in isto populo inter pretiosissima ejus regni, sicut in regum libris videre licet. Quare hoc proverbium apud Judaeos aptum erat, apud alios non item, apud quos forte gemmae magis in pretio sunt. Metaphora ergo hic est: Quemadmodum pretiosus odor afficit nares, sic nomen bonum afficit odoratum illum spiritualem. Hanc metaphoram

---

a) Fama bona. b) D. Hieronymus. c) Nomen. d) Balsamum.

celebrat Paulus 2. Cor. 2 e), Bonus, inquiens, Christi odor sumus etc. Fuit enim Paulus bonus doctor et praedicator sincerus, ac ipsa conversatione inculpatus.

Est ergo sententia hujus loci: Noli ira frangi, sicut coram Deo docui te timorem, sic coram hominibus doceo te perseverantiam et bona opera. Quid enim si quidam offendantur et invideant tuis laboribus? tantum perdura, et divinus odor, bona fama, quam inde consequeris, alliciet plures, qui et ipsi conservabuntur in opere.

Melior est dies mortis die nativitatis.

Etiam hoc opinor proverbialiter dici. Videtur autem gentiliter et carnaliter sonare, praeferre mortem vitae. Loquitur autem non simpliciter de morte et vita, sed de rebus gerendis et gestis etiam a prudentissimis viris. Da mihi virum politicum vel oeconomicum, qui versatur in rebus, et dicat ille, an non magis eligenda mors sit, quam in tot periculis et laboribus vivere. Comparat ergo Salomo hanc vitam sibi ipsi, non futurae, et vult dicere: Si spectanda est vita humana, tum certe verum est, praestare diem mortis die nativitatis. Quid enim potest accidere pejus, quam eos, qui versantur in rebus, et ex animo consultum cupiunt reipublicae, et propter illam omnia agunt et patiuntur, postea nihil nisi summam ingratitudinem, contemptum, damna, exilia reportare?

Sic textus simpliciter est intelligendus ut sonat, quod loquatur non de operibus divinis, et vita

e) 2. Cor. 2.

post hanc vitam, sed de rebus humanis, ut sunt in nostro usu et administratione, unde nihil habemus, quam occasionem irae et impatientiae. Nam dies nativitatis f) immiscet te his malis, mors eripit. Nativitas quidem est bona res et creatura Dei, neque de hac loquitur Salomon, sed de usu nativitatis [129]), ut a Deo creata est, et ut ego illa utor. Nos ex nativitate nihil habemus nisi curas, non quidem nativitatis vitio, sed nostro, ac mundi malitia, qui abutimur creaturis Dei. Sic ergo vita, ut a Deo creata est, nihil ad hunc librum: de illa enim impiissimum esset dicere, mortem ea meliorem esse, cum Deus nos fecerit homines, et velit vivere. Exhortatio ergo est, ne desperemus, sed simus animo infracto, ad haec mala perferenda, quasi dicat: Patere, tolera, ne cede malis, sed contra audentior ito.

Melius est ire ad domum luctus, quam ire ad domum convivii. Ibi enim omnibus hominibus finis.

Hoc est sententialiter dictum. Nam ex duobus illis proverbiis texit sententias et exhortationes. Stultus contrarium diceret: Noli te immiscere luctibus, et noli apprehendere vitam luctuosam (sicut Hieronymus g) docuit sequendam vitam caelibem, suavem scilicet). Sed Salomon aliud dicit, ferre crucem h), et ire in domum luctus melius est, quia in hac domo videtur, quis sit finis omnium homi-

---

f) Dies nativitatis. g) Hieronymus. h) Crux ferenda, non fugienda.

129) 1532: Differunt enim nativitas.

num i), et totius mundi. Sunt quidem omnia plena molestiae et luctus in politia et oeconomia, sed melius est hanc crucem ferre quam fugere, quia qui versatur in luctu et mortificatione, assuescit et ipse mori, fit satur dierum et moritur sine dolore. Qui vero non assuescit, sed semper vult vivere in gaudiis k) sine cruce, ejus animus non exercetur, et moritur cum summa tristitia, et versatur in periculis maxima molestia, sed qui versatur in rebus, et exercetur et duratur ferendo. Da wird ein Mann aus. Ait ergo: Quamquam stultus his contraria et cupit et facit, tu tamen ne deseras habenas: Laß es dir gefallen, daß du mehr Unlust denn Lust hast. Melius est perferre, quam cedere malis. Quia ex hoc quod perfers mala, invenies bonum nomen, de quo dicetur: Hic est vir fortis, qui perduravit in mediis malis, iste potuit omnes istos mundi et Satanae insultus et nequitias vincere; quia in mediis istis malis discit homo mala contemnere, ut Ovidius l) inquit: Quod male fers assuesce, feres bene; quemadmodum mulier illa bibendo venenum non est exstincta, quia assueta. Et juxta proverbium: Nota mala optima sunt m). Non itaque tantopere refugiendnm, neque etiam horrendum a malis, cum sciamus omnium hominum esse finem invidiam, calumniam, mala et mortem. Si vis ergo per ista perrumpere, debebis ista discere continuo usu. Stultis venit intempestiva illa molestia, piis vero longo usu demolita, ut quibus vilescit ista

---

i) Finis omnium hominum. k) Alias: Esse in conviviis. l) Ovidius. m) Nota mala optima. 1526: Consuetudinis vis.

vita, mors vero dulcescit, et quod vivunt, tantum propter Deum vivunt, qui eos[130]) vivere vult.

Et vivens ponit super cor.

Vivens, id est, bene victitans et qui suaviter vivit. Vitam naturalem Hebraei fere vocant animam n), suavem vero vitam o) seu usualem dicunt vivere. Pulchre exponit, quid efficiat experientia malorum, scilicet quod suaviter vivens ponit super cor, id est, cogitur malis illis erudiri cor ejus, qui vero non vult mala ferre, nihil discit, perpetuo manet stultus.

Melius est indignari, quam ridere, quia tristi vultu cor emendatur.

Eadem sententia cum superiori. Sed quomodo hoc convenit cum eo, quod supra dixerat: Non irascendum, sed gaudendum in omni labore, hic vero ait: Melior est ira risu p)? Respondeo: Loquitur de tristitia potius quam ira, non stulta illa, quam sibi fingunt homines, sed sicut loquitur de domo luctus, sic de ira q), ut sit ira tristitia, sive molestia, quae adfert tristitiam quandam, ut quando Davidi nuntiabatur, omnes filios regis esse occisos, contristatus est rex: Ibi est eadem dictio, quae hoc loco, quae ibi certe non potest significare iram, sed tristitiam, ut sit idem cum eo, quod Germanice dicimus: Er erschrak, und ward hoch bekümmert. Adversa autem obnubilant vultum et contri-

---

n) Anima. o) Vita. p) Tristitia melior risu (1536). q) Ira.

130) † ita.

stant frontem. Sic qui est in politia vel[131]) oeconomia, dem vergehet das Lachen wohl, modo si bonus vir sit, et qui suum officium digne agat, ibi tanta illum obruet molestia, ut dicère possit: Der Teufel sey ein Burgermeister oder Regent, es ist doch eitel Verdrieß und Unlust in politia et oeconomia. Tales molestiae corrugant frontes horum, qui cupiunt rebus consulere, ut cogitent: cede, desiste, nihil enim efficis, nisi quod te molestia ac invidia gravas. Hic Salomon resistit, consulit et monet: ne cede, sed perdura. Melius est te indignari sive esse tristem, Daß du das Lachen verbeißen mußt, ut gravitatem in vultu et gestu habeas ac ostendere cogaris (prae molestiis scilicet) quam ridere. Ratio:

Quia per tristitiam vultus cor emendatur.

Hoc potest dupliciter intelligi. Primo per tristitiam vultus emendatur cor, scilicet aliorum. Sic Paulus in Episcopo requirit σεμνότητα, gravitatem in moribus r) et conversatione s), ne levitate alios offendat etc. Sic et Salomon eum, qui in administratione rerum est, vult quidem laetari corde, sed foris se gravem gerere, ut alii emendentur. Nam si quis est talis, qui habeat cor laetum et gravem vultum, qui non sit levis neque vestitu neque gestu, hunc alii verentur, hujus non fit dissoluta familia. Secundo sic potest exponi: In malo

---

r) Gravitas in moribus. (1538). s) 1. Timoth. 3. Tit. 1.

131) et.

vultu bene habet cor, id est, nihil obstat, quo minus cor sit hilare, etiamsi externe gravis sit vultus, ut sit sententia: Melius esse, ducere vitam severam et gravem, quam solutam. Risum [t]) enim vocant Hebraei genus vitae, quale est nostrorum Papistarum, qui solutissime vivunt, contemnunt, rident omnes res bonas. Atque haec mihi sententia magis placet, quam illa, qua putatur cor stulti vel impii posse corrigi per alicujus tristitiam sive gravitatem. Potest quidem apparere, quod impius vereatur gravitatem alterius, sed cor non fit aliud.

Accipio igitur hanc sententiam, ut intelligas de tuo corde, quod in perturbatione rerum cor fiat bonum [u]). Est enim Hebraica phrasis: Cor bonum, id est, jucundum et hilare. Et loquitur hoc modo Salomon, ut dirigat auditorem in scopum suum. Hoc enim egit, ut laetos esse doceret, utcunque res caderet. At cum supra dixerit, bonum esse laetari [v]) etc., hic videtur contrarium asserere: Melior est tristitia risu [w]). Haec certe non videntur convenire, verum res pietatis sunt difficiles, semper rapiuntur in diversam partem. Si docemus nihil justificare, nisi solam fidem, tum impii negligunt omnia opera. Rursus si docemus fidem operibus testandam esse, mox iisdem tribuunt justificationem. Stultus semper declinat in alterutram partem. Adeo difficile est manere in via regia [x]), sic et hic, neque solam tristitiam vult, neque laetitiam, sed medium tenendum est. Animus debet

---

t) Risus. u) Cor bonum. v) Bonum est laetari etc. w) Melior est tristitia risu. x) Via regia difficilis observatu.

esse laetus, liber, pacatus, qui se aequaliter gerat in rebus humanis, sive accidant laeta sive tristia. Dicit ergo:

In malo vel malitia vultus etc.

Quasi dicat, distinguo aliam tristitiam vultus, aliam animi y). Volo semper animo esse laeto intus, foris non potest fieri, quin accidant tristia, sicut Apostolus 2. Corinth. 6 z): Quasi tristes, semper autem gaudentes etc., ut referas alterum ad externum, alterum ad internum.

Cor sapientum in domo luctus et cor stultorum in domo laetitiae.

Omnia haec videntur pugnare cum praecedentibus, nisi discernamus illa duo, laetitiam animi et externam, item tristitiam internam et externam a). Pergit vero consolando et exhortando dicens, ne sequaris illos stultos, qui animós mutant, ubi mutantur externa, et in talibus haerent corde, laetantur venientibus laetis rebus, econtra tristantur venientibus tristibus.

In domo luctus.

Hebraei vocant domum b) non solum aedificium ex lapidibus et lignis, sed ubicunque aliquid geritur vel agitur. Ita illorum grammaticis quaelibet litera est domus vocabulorum, ab ea litera incipientium. Quare vero cor sapientum est in domo luctus?

---

y) Tristitia vultus animi. z) 2. Cor. 6. a) Tristitia interna, externa. b) Domus. 1536: Domus Hebraica phrasi quid?

Quia sapientes non franguntur rebus malis, nec mutantur mutatis rebus. Stulti sectantur laeta externa et fugiunt adversa, molestissimum genus hominum, qui multa fervore et impetu quodam incipiunt, deinde ubi intervenerit aliqua molestiola, mox desistunt. Ubi succedit, fortiter perrumpunt, ubi non, abjiciunt[132]) animos, et fugiunt ex acie. Itaque nihil valent ad res gerendas vel publice vel privatim, cum in nullo vitae genere vivi possit sine incommodis et molestiis. Fortis autem animus seu cor sapientis c) sustinet adversa et perrumpit. Notanter autem dicit cor sapientis et cor stulti d). Judicat enim secundum adfectus et non res ipsas. Cor stulti spectat ad laeta semper, sapientis ad tristitiam[133]), etiamsi huic laeta saepe et illi tristia[134]) eveniant. Sunt itaque hae confirmationes et exhortationes bonorum hominum.

Melius est audire increpationem sapientis, quam audire canticum stultorum. Quoniam sicut vox spinarum sub olla est, sic est risus stulti. Etiam hoc vanum est.

Opiniones stultorum vocat canticum e), egregia figura. Non debet transferri aut intelligi de musicis, quemadmodum neque praecedens de conviviis externis, sed de tota conversatione hujus vitae, Hebraico more et figura. Et increpationes sunt doctrinae et exhortationes de rebus gerendis. Ait ergo: Etiamsi videaris tibi nihil proficere, tamen agendum est, quod prae manibus est, nec cessandum ab

---

c) Cor sapientis. d) Cor stulti. e) Canticum stultorum.
132) adjiciunt. 133) tristia. 134) 1532 tristitia.

increpatione, etiamsi stulti non audiant. Id quod Paulus 2. Tim. [135]) 4. f) sic dixit: Argue, increpa, insta, opportune importune. Ego docui et doceo res vanas esse, et non geri nostris consiliis res etc. Cum audit stultus increpationes has, in diversam partem rapitur. Nihil ergo faciamus? Sed non ideo est cessandum, nec ab agendo, nec ab increpando vana, nec a doctrina et praedicatione, ut maxime videamus contemni, sed perrumpendum est et arguendi impii. Si ego deberem desistere ab officio verbi, quia non video fructum verbi, nisi apud paucissimos, nimiam autem perversitatem totius fere mundi, et summam ingratitudinem, jam pridem fuisset mihi tacendum. Sed bene facit Deus, quod talia nos non prius sinit videre, quam cum jam sumus in medio cursu, ubi non licet retro cedere, et multo melius est in iis malis exerceri, quam desistere. Praestat ergo audire increpationes a sapientibus, qui nobis bene consultum volunt.

Quam audire canticum stultorum.

Id est, ea quae caro libenter audit, et quae illis jucunda sunt. Illi enim tantum postulant, ut loquamur ipsis placentia. In summa ergo hoc agit Salomon, ne occasione praecedentis doctrinae stertamus, et cessemus ab opere.

Quoniam sicut sonus spinarum sub olla, sic est risus stulti.

Risus g) significat totam vitam stultorum; quae

---

f) 2. Tim. 4. g) Risus.
135) 1532: 1. Timo. 4.

ipsos delectat, sed est tantum externa larva laetitiae, non verum cordis gaudium. Sed mirabilis est similitudo risus stultorum, et sonus spinarum h). Abundant autem Judaei similitudinibus, quas accipiunt a suis rebus. Fuit enim iis maximus usus coquendi et fovendi ignis, propter assiduas lotiones, sacrificia etc. Nam sacerdotes ipsorum erant veri lanii etc. coqui. Hinc natum proverbium de sono spinarum i) in igne, hic et in Psalmis. Durum hoc nobis videtur, quia abhorret a nostra consuetudine, quemadmodum et nostra proverbia dura illis viderentur, ut cum dicimus k): Kupfern Geld, kupfern Seelmeß, quamquam apud nos usitatum sit, et ex nostris sacris proditum, tamen illi prorsus non intelligerent.

Est ergo totus fere hic locus quasi allegoria quaedam, sumpta ab igni veprium (quae sunt spinae sese mutuo complectentes), qui est subitus ignis et valde crepans, sed evanidus, plus est ibi flammae quam ignis, minatur horrendum incendium, mox ubi cessat flamma et sonitus, est ignis exstinctus. Sic in Psalmo: Exstincti sunt sicut ignis in spinis. Et Vergilius l) tertio Georg.: Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis, furit in cassum etc. Ignis ergo spinarum sive veprium m) non calefacit, non penetrat, et tamen habet majorem speciem quam prunarum, qui [136]) non habet multum flammarum, sed tamen habet [137]) maximum ardorem. Sic lae-

h) Sonus spinarum. i) Sonus spinarum. k) Küpfern Geld rc. l) Virgilius. m) Ignis veprium.

136) quia. 137) „habet" deest 1532.

titia stultorum n) habet speciem, quasi sit perpetuo duratura, et putatur tantum ibi esse virium, quantum est flammarum, sed nihil minus est. Quia ad momentum laetantur, mox veniunt adversitates et franguntur, et omnia jacent in desperatione. Sic puto sententiam claram, et pulchre convenire cum praecedentibus et sequentibus. Etiam hoc vanum est, quia post finem laetitiae manet molestia in animo. Sic enim est omnis laetitia carnalis, desinit in turbationem, et relinquit malos aculeos.

Quoniam calumniator perturbat sapientem, et perdit cor munificum.

Et hoc pertinet ad locum consolationis. Dicit[138]) autem hoc per concessionem, id est, posset fieri, ut calumniator perturbet ac infatuet sapientem[139]), et perdat cor doni o) (sic enim est in Hebraeo), id est, munificum et liberale. Quando enim sapiens vult adjuvare mundum et consulere rebus, etsi[140]) omnia rectissime fecit, tamen percacatur a stultis, et experitur summam ingratitudinem. Testantur hoc et gentium et Judaeorum historiae, imo quotidiana experientia. Sic Antiochus p) virum egregie meritum turpiter occidit, prius in illius conspectu occisis duobus liberis. Haec scilicet redibat gratia pro meritis. Bellisarius q) optimus et prudentissimus vir a Justiniano r) Imperatore iniquissime occiditur. Talibus exemplis plena sunt omnia.

Quare qui vult servire publicis vel domesticis

---

n) Laetitia stultorum. o) Cor doni. p) Antiochus. q) Bellisarius. r) Justinianus.

138) Dicitur. 139) sapientiam. 140) et 1532.

rebus, hoc expectet, ut perdat beneficium, sicut Deus beneficium solis et omnium suorum donorum perdit[141]) ingratis et impiis, Matthaei quinto[s]). Ita calumnia perdit cor liberale, ut impatientia cogitet desistere a faciendo, et sinat se infatuari per ingratitudinem, nisi cor eruditum sit verbo Dei. Sic fit a sapientibus etiam, dicente Hieronymo[t]): furit saepius laesa patientia. Neque homo aliud potest[142]). Deus impiis dedit solem, regna, principatus etc. Quid faciunt illi? quam vicem rependunt? Crucifigunt illi filium. Haec est gratiarum actio, hoc ille potuit[143]) ferre, homines non possunt, sed contingit iis, quod hic Salomon dicit: Calumnia perturbat sapientem et perdit cor munificum. Tu autem noli vinci a malo, sed perdura. Quia

Finis negocii est melior quam initium.

Id est: Perseverantia coronat; expecta finem, es liegt nicht am Anheben, sondern am Hinausführen[u]). Multo melius est attigisse finem, quam tentasse principium[144]). Ante diem enim supremum neminem laudaveris, non qui inceperit, sed qui perseveraverit, hic salvus erit. Quod dico de rebus pietatis, idem dicendum de omnibus aliis rebus, juxta illud vulgi: Principium fervet, medium tepet, finis abhorret. So liegts gar in der Aschen. Praesertim[145]) Germani hujus vitii arguimur[v]), quod

---

s) Matth. 5. t) Hieronymus: Furit saepius laesa sapientia. u) Matth. 24. v) Germanorum vitium.

141) † in 1532. 142) † Deus vero potest 1532. 143) potest 1532. 144) principum. 145) †. nos.

cupidi sumus novarum rerum, multa incipimus, in nullo pergimus nec perstamus, et maxime hoc nobis accidit in doctrina, ubi quotidie novas amplectimur. Sed haec est instabilitas humani cordis; ergo cogitandum non de initio, sed fine, quare vide ut perseveres. Calumniam patieris sapientiae tuae, ingratitudinem experieris, obliviscentur beneficiorum tuorum, detrahent tuis consiliis optimis, et reddent pro bonis mala. Ubi si animus fuerit infirmus, desistet. Sed tu fortiter perge, persevera, quia Deus tandem dabit fructum operis tui.

Melior est tardus animo, quam superbus spiritu.

Adhuc perstat in adhortatione. In rebus humanis hoc exigitur, ut spectetur finis. Ad hoc requiritur non superbus animus, qui statim mutatur, cum semel omnia vult effecta, et omnia quodam impetu facit, sed tardus animo, qui mala, quae occurrunt et impediunt, patientia et ferendo vincat, quod etiam docent illae sapientum voces: Festina lente w), item: Perfer et obdura etc.

Ne sis praeceps spiritu ad irascendum, quia ira in sinu stultorum requiescit.

Copia Salomonica est exhortantis nos, ut perseveremus in incepto, utcunque non fiunt[146]) nostra consilia. Loquitur autem de ira animi, sicut supra de externa: noli, inquit, praeceps esse in iram x), utcunque contingant occasiones ad iram. Narren sollen

w) Festina lente. x) Praecipitantia damnatur. 1536.
146) fiant.

zornen. Stulti habent iram in corde et simul foris. Tu vero serva animum laetum, externe severus.

Iram quiescere in sinu stulti y).

Hebraismus est, quem nos sic Germanice: Zorn hängt den Narren an, id est, libenter irascuntur.

Ne dicas, cur superiora tempora fuerunt meliora istis? Quia non sapienter quaeris hoc.

Sic solet queri cor humanum, quando experitur ingratitudinem mundi, es ist ärger, denn es vor je gewest ist. Tu vero ne sic dixeris, neque enim recte interrogas neque disputas. Sic solent senes dicere: Dum eram puer, omnia erant meliora, sicut ait poeta: Laudator temporis acti z). Sed Salomon dicit: Falsum est, es ist nie recht zugangen a). Quod vero nunc primum hoc vides et intelligis, ratio est, quia crescentibus nobis crescunt experientiae rerum et occasiones irascendi. Puer b) non curat neque movetur, quod alius alium fraudat, occidit etc., sed ludit, venatur, equitat, et putat summum flagitium esse, si quis alteri furetur globulos, ibi irascitur. Quando vero fit paterfamilias c), sentit molestiam et infidelitatem familiae, ibi irascitur, si equus crus frangat, aut bos male saginatus sit etc.

Fuit ergo semper mundus malus, sed non semper fuimus in mundo, neque sumus. Nobis pueris nihil turbabatur, nos quidem eramus in pacatiore

---

y) Iram quiescere in sinu stulti. z) Laudator temporis acti. a) Mundus nunquam bonus fuit. b) Puer. c) Paterfamilias.

vitae genere, sed mundus semper fuit sui similis. Hoc quidem verum est, quod malitia aliquo seculo magis erumpit, quam alio, sed hoc fit, quia alii subinde casus et majores occasiones quoque exsistunt, malitia tamen mundi semper manet eadem. Julius Caesar d) concussit totum orbem, quia magna illi erat occasio, quam si habuisset Esau vel Absalom, eadem fecisset. Ergo eadem sunt mala semper in mundo. Quare fac ut sis corde pacato et tranquillo; ne irascaris, cum mala ista vides, non tu mutabis mundum, sed vide, ut tu muteris in alium virum.

Praestat sapientia cum haereditate, et excellit videntes solem, quia sapientia defendit, defendit et pecunia. Verum praestantior est sapientia, quia vitam adfert possidenti eam.

Salomon hoc unice hic agit, ne videatur probare ignaviam, quam [147]) solent allegare, qui audiunt doctrinam pietatis. Si omnia, inquiunt, studia damnantur, nihil ergo operemur, simus gnaviter ignavi. Sed Salomon reclamat dicens: Opes non damno, nec probo ignaviam, imo utrumque probo, et opes et sapientiam, sed praefero sapientiam opibus, quia dat vitam homini. Ceterum consilia humana in parandis divitiis et omnibus rebus damno. Neque sis tu (inquam) operosus neque otiosus, neque stultus neque sapiens, neutrum enim valet, id est, non addas tua consilia neque urgeas ad pa-

d) Julius Caesar.
147) qualem.

randas sive opes sive sapientiam, sed cura, quae Deus curata vult, et aufer tua, quae sunt mera vanitas. Non enim proponitur tibi sapientia Dei, ut tu facias, sed sursum specta, ut Deus operetur has justitias, sapientias etc. Sic ergo pariter consilia humana in parandis rebus quibusvis damnat, et tamen hortatur, ut sint in rebus, regant et gubernent res, sed praesenter, et exspectent Dei manum, ubi vident non succedere etc. Nam si tua consilia urgere coeperis, nihil auferes nisi vanitates et afflictiones etc.

Sapientia cum haereditate melior est videntibus solem.

Videre solem e) est laetari et jucundum esse in hac vita seu suaviter vivere. Vult dicere: Sapientia cum haereditate superat jucundissimam vitam in hoc mundo. Et addit collationem: Sapientia defendit, defendit et pecunia, ut dicitur: Gut macht Muth f), id est, habentes opes habent fiduciam, habentes sapientiam habent fiduciam (concessiones sunt); sed tamen distinguo. Hoc praeponderat sapientia opibus seu pecuniis g), quia sapientia tribuit vitam possessori suo. Hoc non potest pecunia; non retinet vitam nec liberat a morte. Hoc dicit, ne videatur damnare opes simpliciter, sed solum usum[148]) quem habent impii damnat, deinde sapientiam praefert, quia cognitio sapientiae vitam servat possessori.

---

e) Videre solem. f) Gut macht Muth. g) Sapientia praesto pecuniae. (1536).

148) abusum

Contemplare opera Dei. Quis enim potest facere rectum, quod ipse curvaverit?

Concludit totum hunc locum, quem coepit pro confortandis impatientibus[149]) pulchro epiphonemate. Quid, inquit, irasceris? quid impatiens es contra ingratos? Vide opera Dei, quod nemo possit rectificare eum, quem incurvaverit ipse, hoc te consoletur. Poteris enim hoc argumento cognoscere Deum regere omnia, et a te non requiri, ut omnes boni sint ac grati, neque penes te esse, ut tales efficias. Quare sis aequo animo, et mitte vadere h) sicut vadit, quia vult vadere sicut vadit. In manu mea non est curvitates rectificare. Benefacio multis, et ecce refero calumnias et ingratitudinem, nihil vero mirum neque novi accidit. Quia nisi Deus dederit cor intelligens et gratum, perdes omnia tua beneficia. Est ergo insignis doctrina hujus loci, non stare in arbitrio humano cor suum rectificare, sed neque ullam molestam causam posse humano arbitrio corrigi. Tu potes quidem docere, monere, etc. nemo autem nisi Deus corrigere. Hoc scire unicum nobis est remedium adversus tantam ingratitudinem et tot calumnias. Quare ubi correptio et instructio tua non juverit, serva regulam Pauli: Post unam et alteram admonitionem haereticum hominem devita i); ubi feceris tua, faciat[150]) Deus sua. Non enim velle desistere nisi correxeris primum, est se in locum Dei statuere, id est, aperto insanire. Ideo:

---

h) Mitte vadere etc. i) Tit. 3.

149) † et iracundis hominibus 1532. 150) faciet.

Laetus estó in die bono, et tamen memineris etiam mali temporis. Deus enim fecit hoc juxta illud, sic ut non inveniat homo quidquam praeterea.

Alia pars epiphonematis, sic facies, si tibi acciderit dies laetus, sis laetus, id est, fruere praesentibus, pone tuas curas, pone consilia, ponas omnibus affectibus modum, sine Deum esse tuam sapientiam, illi committe tua praeterita, tua futura. Et laeteris sic in praesens,

Ut memineris etiam diei mali.

Id est: Sic compares te, ut etiam possis tristari, fruere praesentibus, ut non inde concipias fiduciam [k]), quasi haec sint perpetuo duratura. Ne securus sis, tantum bona spectans, sed paratus sis ad diem malum quoque, liber et aequalis semper, sic removet adfectum et fiduciam stultorum, qui haerent et immerguntur praesentibus gaudiis, quasi dies bonus semper debeat durare. Nos vero sic laetari debemus, ut non immergamur, sed servemus partem cordis Deo, qua etiam ferre possimus diem malum. Sic fiet, ut mala praevisa minus discrucient nos.

Sicut enim hanc, sic et illam fecit Dominus more suo.

Reducit omnes cogitationes nostras in Deum, et rapit a rebus. Deus haec omnia facit, inquit, diem scilicet malum juxta bonum, schicket das Unglück

k) Praesentibus fruendum, sed non confidendum. (1536)

neben das Glück. Et id pro ritu l), pro ordine (ubi iterum est Hebraismus in vocabulo: דִּבְרָת m), qui et supra capite 3 et Psalm. 151) n) secundum ordinem Melchizedek), id est, prout de eo scribitur et dicitur, more suo, wie er pflegt, hoc specta, tum facile vinces tentationes. Sed nos immergimur penitus vel laetis vel adversis. Pii vero, ubi boni et mali vicissitudinem patiuntur, dicunt: Hic Dei ordo sive mos est, neque franguntur.

Ut non inveniat homo post eum quidquam.

Id est, ut erudiatur, quod non possit plus boni habere, quam Deus dederit, etiamsi quaerat. Quaerit quidem homo ultra quam Deus fecit, sed non invenit. Deus dedit laetitiam, et plus laetitiae quaeris, sed non invenies. Nemo enim potest Dei operibus vel momentum addere o): Wenn unser HErr Gott ausgemacht hat, so wirst du nichts dazu machen. Quando cor perfusum est laetitia, non potest tristari, et econtra. Sic omnia Deus definit, ut discas eo contentus esse, quod ipse obtulerit, ac eo moderate utaris, ut sit gaudium nostrum in Domino.

Omnia vidi in diebus vanitatis meae. Est justus, et perit in justitia sua, et est impius, qui multo tempore in malitia sua vivit.

Finitis adhortationibus et consolationibus redit ad suum catalogum, omnia circumspiciens. Cum

---

l) Pro ritu. m) Dabar. (1536). n) Psalm. 110. o) Operibus nihil adjici potest. (1536.)

151) † 110.

lustrarem singula, inquit, inter reliquas vanitates occurrit et illa nunc enumeranda.

Est justus, et perit etc.

Hic iterum oportet observare Salomonem, ne putemus eum hic loqui de justitia divina seu fidei, sed politica justitia, ut justum p) intelligas exactorem justitiae, der die Leute will fromm machen, qualis est politicus homo, vel oeconomus bonus. Vidi, inquit, justum habentem egregia jura et leges, quas cum coepisset urgere et omnia ad amussim exigeret, nihil effecit[152]), nisi quod omnia retro ibant, sicut Morio q) quidam, qui incurvatus in solem accusabat umbram curvam, cum interim se non erigeret. Tales et nos sumus. Videmus festucam in oculis aliorum, sed trabem, quae in oculo nostro est, non consideramus. Summa summarum: Summum jus, summa injuria r). Qui vult omnia ad amussim regere et rectificare in politia et[153]) oeconomia, laboris multum, fructus nihil habebit. Econtra alius nihil vult facere, et est contemptor justitiae exigendae. Neutrum valet, neque esse sapientem neque insipientem, neque justum neque impium esse oportet. Quid ergo faciendum? Hoc erit medium:

Ne sis nimium justus, neque sis nimium sapiens, ne desoleris. Noli nimium esse impius, neque desipias, ne moriaris tempore non suo.

Id est, mitte summum jus, tuo te pede metire,

p) Justus. 1536: Justus exactor justitiae. q) Morio. r) Summum jus.

152) efficit. 153) vel.

et cane γνῶθι σεαυτόν, tum invenies in tuo ipsius sinu prolixum catalogum vitiorum, et dices: Ecce ego ipse adhuc sum injustus, et tamen toleratus a Deo, et hominibus non proscriptus. Quare ergo[154]) sic feror impetu, ut ab aliis tam acerbe exigam, quae ipse non praesto? Hoc est esse nimis justum[s]). Res hujus mundi hoc non ferunt. Serva ergo leges docendo et praedicando, et age gratias Deo, quando familia vel auditores fatentur leges et doctrinas esse sanctas et justas, etiamsi non omnia ad praescriptum servent. Sic es vere justus et sapiens. Nimium autem sapis, et nimium es justus, quando versaris in rebus gerendis sive publicis sive privatis, ac habens bonas leges, ita illas urges ac servari vis, ut ne vel iota peccari velis. Hoc enim est summum jus summa injuria[t]).

Prudens magistratus ac paterfamilias debet distinguere inter bonitatem legis et obedientias subditorum[u]). Melius est ut feramus et patiamur modicam rebellionem, quam ut tota respublica pereat. Id quod accidere solet rigidis illis exactoribus legum. Ergo exsequendae et urgendae sunt leges, quatenus res patitur, non ultra. Sic medici[v]) faciunt quoque, non ex solis libris, seu praescripto judicant et sanant morbos, sed saepe mutare coguntur pro qualitate corporum. Sic animi hominum[w]) sunt diversissime adfecti, ut leges ipsas saepe

s) Nimis justum. t) Summum jus summa injuria 1536. u) Bonitas legum. Obedientia subditorum. 1536. Lex et obedientia distinguenda sunt (1536). v) Medici. w) Animi hominum.

154) ego.

moderari oporteat. Ad hoc opus est sapientissimis viris, quorum pauci sunt in mundo. Debebant ergo omnes oeconomi ac magistratus, David, Abraham, Salomon, Josua, et similes eligi, si possent haberi, qui possent recte uti legibus. Adeo scilicet refert bene administrare rempublicam.

Non sis nimium impius etc.

Haec est altera pars conclusionis. Vide ut sicut non eris nimium justus, sic ne sis nimium impius, id est, ne contemnas et negligas omnem gubernationem tibi mandatam, et omnia sinas ruere in malum. Quaedam dissimulare[x]) bonum est, non autem omnia negligere. Si sapientia non procedit, non ideo insaniendum ira et vindicta. Deinde ne etiam tradas te in otium, ut nihil velis curare. Ne facias ut ille servus nequam, qui defosso talento nihil volebat negotiari etc.[y]) Age sis justus et alii tecum, exige pietatem, persevera, utcunque successerit. Quare hoc?

Ne vasteris, ne moriaris tempore non tuo.

Timendum enim est, ne subito veniat et te vocet ad judicium, sicut divitis animam nocte non cogitata diviti tulit. Si esset haec vita coelestis et angelica, nihil injuste fieret; sed natura peccatrix[z]) aliud non potest quam peccare, quam esse stulta[a]). Qui hoc nescit, nondum novit mundum. Cogitandum nobis hic esse ut in naufragio aut incendio, ubi laborandum est, ut saltem torrem aliquem de in-

x) Dissimulari (1536). y) Matth. 25. z) Mundus malus (1536). a) Lucae 17.

cendio eripias, quando totum incendium cohibere vel exstinguere non potes. Quare si es in re domestica[b]), contentus sis, quod vel unum ex publico incendio malitiosorum hominum eripias. Si magister puerorum[c]), labora, ut vel unum aliquem erudias et recte instituas etc. Si praedicator[d]) Evangelii, sic praedices[e]), non quod omnes possis lucrifacere Christo (non enim omnes obediunt Evangelio), sed si tres aut quatuor animas tanquam caudas titionum fumigantium Christo adduxeris et converteris, gratias age. Non enim ideo cessandum, quia tam pauci emendantur ad praedicationem Evangelii. Sed sicut Christus[f]) fecit, sic et tu quoque. Ille electos eripuit, ceteros reliquit. Sic etiam Apostoli[g]), tibi non erit melius. Stultus es, si tu solus praesumas efficere omnia, aut contra, si non procedat, de omnibus desperare.

Bonum est quod hoc teneas, et ab illo non auferas manum tuam, quia qui timet Deum egreditur cum omnibus.

Simili sententia utitur Christus Matth. 23[h]) dicens: Haec oportuit facere, et illa non omittere. Sic et hic quoque utrumque exigit, justitiam et tamen non summam justitiam, sic ut neque sis nimis remissus, neque nimis exactor. Aliquando dissimula leges et jura, quasi sis impius. Aliquando apprehende leges, et rursus fias justus, sed memineris eum hic loqui, non de personali justitia[i]), ut supra

---

b) Oeconomus. c) Praeceptor. d) Concionator. e) 2. Thess. 2. f) Christus. g) Apostoli. h) Matth. 23. i) Justitia personalis.

quoque dictum est, sed de communi sive politica[k]), quae est non coram Deo, sed in regendis aliis, et coram mundo. Nam in personali justitia non potest esse nimia justitia.

Qui timet Deum, evadit cum omnibus.

Id est: Timor Domini facile judicabit de utroque. Si metuo Dominum, dicit cor: Saepe sic vixi, et adhuc turpiter vivo. Compatiar ergo delinquentibus illis; si potero moderata disciplina illos compescere, faciam, si non, sinam eos valere, donec incurrant in jus gladii. Quod si ista omnia effugerint, non tamen effugient judicium Dei. Sic timens Deum recte in istis incedit, cum videt se non posse praestare, ideo invocat Dominum. Quare fac quod tuum est, mone, hortare, ne cessa. Qui te non audit, incidet in poenam, te etiam non puniente, erit enim qui puniet. Sicut nuper rusticis contigit, qui cum non acceperint correptionem nostram, ab aliis satis sunt puniti etc.

Sapientia confortat sapientem, plus quam decem potentes, qui sunt in civitate.

Est commendatio hujus sapientiae jam dictae, aequitatis scilicet; non viribus servantur res, sed prudentia aguntur omnia[l]) et proficiunt, in regno, legibus, administrationibus, artibus. Sic et nos conditi sumus homines, ut agamus ratione, et plus ea valeamus quam omnes bestiae viribus. Sic homo

---

k) Justitia politica. 1536: Justitia alia politica, alia personalis. l) Prudentia necessaria est in administrandis legibus.

ratione domat ferocem equum et immanem leonem. Igitur ut maxime sint leges positae, sint politiae bene ordinatae ac constitutae, nisi tamen accedat prudentia, saepe pessime agetur. Sapiens enim cum condit leges, impossibile est quod possit conditiones et circumstantias omnes videre. Quare multa relinquuntur legum administratoribus. Sic et jurisperiti quoque imperatorem vivam legem m) vocant, quia eo loco constitutus est, ut moderetur leges, tanquam auriga currum, et omnia accommodet pro locis, temporibus, personis etc. Nam stultus legibus rigide servatis plus nocet, quam sapiens dissimulatis. Omnia adhuc in loco exhortationis dicuntur. Noli, inquit, irasci, cum res non succedit ex tuis votis, satis sit tibi servare leges, eatenus ne omnia conculcentur. Haec enim est summa sapientia n) scire non ipsas leges et jura, sed scire quod sapientiae non obeditur in hoc mundo. Vita haec non patitur, ut omnia recte fiant. Summa ergo hujus loci est: Non est fidendum viribus, sed sapientia regendum, quae saepe omnia servat in regno, ubi vires omnia perdunt. Quare hoc?

Quia non est homo ullus in terra, qui operetur bonum et non peccet.

Hoc semper adverte, quod loquitur Salomon de iis, quae sunt sub sole et de rebus agibilibus. Neque instituit hic proprie conscientias, sed docet pacem cordis in rebus difficilibus et molestis hujus mundi. Ideo diserte addit (in terra), nimirum sen-

---

m) Imperator viva lex. n) Summa justitia.

tiens de terrena justitia o), et de peccatis, quae nos hic invicem committimus, quasi dicat: quid conaris omnia ad amussim exigere ad leges? Nunquam fiet, ut omnia rectissime fiant. Si vis vivere in politia, oportet te multa dissimulare, multa ferre, multa ignorare, ut saltem aliquid justitiae conserves.

Intuere te ipsum, et videbis, quam saepe ipse injuste facias et hoc agas, quod merito multis displiceat, ideo non sis nimis justus, quia et ipse peccas, et in multis offendis. Sic et Christus Matth. 7. p) dicit: Festucam in oculo proximi vides, et trabem quae in oculo tuo est non consideras, quamquam ibi de coelesti justitia loquitur. Si nos ipsos domi inspiceremus, tum sine dubio inveniremus eos defectus, qui alios jure offendant. Ea res nos certe commonere deberet, ne essemus tam severi judices aliorum, neque nimium justi alienae justitiae exactores. Hinc enim fit, ut exactores illi rigidissimi plerumque sint vitiosissimi. Nesciunt adfectum misericordiae et compassionis, sunt sibi ipsis molesti et intolerabiles, et aliis quoque.

Vult ergo Salomon: Noli irasi, si vides ea fieri et geri, quae te offendunt, neque enim tu semper agis, quod fieri abs te oportuit. In plurimis enim connivendum et tolerandum est. Etenim ut justitiae fidei et spiritualis est, infirmos in fide ferre, et eos [155]) leniter erudire, sic justitiae politicae (de qua hic loquitur) est ferre aliorum defectus, ut sit mutua tolerantia, qua toleramus invicem et conni-

---

o) Terrena justitia. p) Matth. 7.
155) os.

vemus. Cicero in libello de amicitia q) nihil dissimulare vult in amicis. Et Erasmus in Moria r) omnia amicorum vitia vult corrigi. Speculationes etiam sunt passionatissimorum saepe hominum, stulti libris mundum regunt, non videntes, quod nemo praestare possit, quod praescribitur. Sic Stoici s) stultissime sapientem finxerunt sine sensu, ipsi omnibus molestissimi. Reliquum ergo est, ut toleremus invicem et conniveamus. Non enim est homo, qui non peccet, qui non agat, quod aliis molestum sit.

Sed et cunctis sermonibus quae dicuntur ne accommodes cor tuum, ne forte audias servum maledicentem tibi. Novit enim cor tuum, quod et tu quoque saepius aliis maledixeris.

Sicut tibi dixi de experientia visus tui ipsius, sic etiam dico de auditu aliorum. Regenda quidem est familia[156]), et plectendi impii, si quid praeterea non potes corrigere, eat, impii non manent impuniti. Proverbium enim hoc verum est: Du entläufest dem Henker nicht, denn Gott ist selbs Henker.

Ne forte audias servum tuum maledicentem tibi.

Sunt quidam tam curiosi t) de se, ut omnia omnium dicta et nutus aucupentur[157]), ut etiam ad fenestras et per rimas parietum auscultent, quid

q) Amicitia Ciceronis. r) Moria Erasmi. s) Stoici. t) Curiosus damnatur (1536).

156) 1532: famila. 157) accupentur.

quisque de ipsis loquatur. Quibus jure accidit, ut audiant vel ex sua familia, quod dolet. Si vis ergo omnium sermonibus dare aures, exspecta hoc quod audias etiam tuos tibi maledicentes, imo hoc forte fiet etiam necopinanti. Nam sicut multa experieris, ita et multa audies quae nolis, ut non opus sit tam [158]) curiose omnium sermones captare. Neque ideo statim irascaris, et arripias arma. Sed negligito potius, quia et tu multa peccasti in alios. Si toties deberet fulminare Jupiter, quoties merentur homines, statim redderetur inermis, ut Ovidius [159]) inquit.

Duo ergo ista sunt necessaria in administratione rerum: Legislator u) scilicet et moderator v) legis; legislator, qui bonis legibus formet et constituat rempublicam, moderator vero, qui leges ipsas recte applicet, et illis recte et prudenter utatur, pro conditione locorum, hominum et personarum etc. Estque moderator legis magis necessarius in republica, quam legislator ipse, quemadmodum et in domesticis exemplis videre licet. Prudens paterfamilias w) singulis suis officium tribuit, certis horis et locis, deinde constituit certum victum et vestitum servis et ancillis, sed intervenit casus aliquis, infirmatur servus, ibi rumpenda lex, ac tempori serviendum est. Non exigitur dimensus [160]) labor ab aegrotante, datur ei melior cibus ac potus, requies lecti quam aliis etc. et excipitur a

---

u) Legislator. v) Moderator. w) Paterfamilias prudens.

158) „tam“ deest (1532). 159) Horatius (1532). 160) demensus.

praescripto. Stultus alioqui nisi sic faceret et impius, sic hic cadit praescriptum legis propter personam mutatam. Ergo si nos saepe a lege recedimus et peccamus dictis et factis, feramus idem[161]) in aliis.

Omnia haec tentavi sapienter, et cogitavi, sapiens efficiar, sed longius a me recessit sapientia. Longinquum est, quidnam est? Profundum est profundum, quis inveniat ipsum?

Allegat suam experientiam, narrans quid antea sibi acciderit dum ista quaereret. Erudio, inquit, te meo exemplo, doceo quiescendum ab ista sapientia, et sapientiam quidem esse, sed non esse sapientem ejusmodi. Ego quoque haec experientia coactus sum discere, cum volebam nimium sapere et efficere, ut strictissimis legibus regeretur mundus. Sed nihil minus succedebat conanti. Oportet ergo, ut dixi, vitam humanam habere ista duo: Legislatorem x) et moderatorem y) neque hunc minus quam illum. Sicut non satis est, aurigam z) bonos equos habere, et viam nosse, qua vehatur, nisi currum regat pro modo viae. Debet ergo legi adjuncta esse ἐπιείκεια, quae sic dicet: Tu quidem bene constituisti hanc et illam legem, et servari debet, sed exceptis excipiendis.

Profundum est profundum etc.

Sic et supra. Cunctae res difficiles, nec potest eas etc. Qui leges scribunt, tantum intendunt

x) Legislator. y) Moderator. z) Auriga.
161) † etiam. (1532).

in universalia, quod sic debeat fieri, sed qui sunt in administratione, coguntur descendere in particularia et individua, et videre an possit sic fieri, ibi offerunt se casus infiniti, circumstantiae item infinitae. Nec potest profunditas ista numerari. Summa ergo Cap. 7. a) et hujus exhortationis est: Quantum potes, sustenta legem, et quantum potes, moderare legem, ne velis omnia rigidissime servari, neque frangere taedio, sed time tantum Dominum, et is recte te omnia docebit, quia qui sine timore sunt, aut sunt nimium justi, aut nimium impatientes.

Verti cor meum ad investigandum et explorandum et inquirendum sapientiam et scientiam, ut cognoscerem impiorum stultitiam et stolidorum errores.

Additio quaedam est praecedentis exhortationis et doctrinae, quasi dicat: Satis diligenter vidi quid accidat iis, qui juste volunt omnia agere et fieri, et in exigenda justitia sunt nimis justi, quomodo illis non succedat, et quomodo nimium sapiendo fiant stulti. Invenique quod in loco desipere summa sapientia sit b). Rursus lustravi omne genus vitae, ut cognoscerem, quomodo res gererentur per impios, quomodo succederet stultis, utrum sit melius omnem curam abjicere (ut stulti faciunt) vel esse nimis justum. Loquitur enim rursus de rebus gestis sive gerendis per stultos et impios, sicut antea locutus est de rebus gestis justorum politice.

---

a) Summa Cap. 7. b) In loco desipere est sapientia.

Et inveni mulierem amariorem morte, cujus cor retia et laquei sunt, et manus ejus sunt vincula. Qui placet Domino, eam effugiet, peccator autem ab ea irretietur.

Inter res stultorum etiam hoc vidi, quod a mulieribus oritur. Nam cum scriberet catalogum vanitatis, neque hoc oportuit praeteriri. Contingit stultis, qui volunt manum remittere et nihil agere, et ab omnibus esse liberi, quod incidunt in manus mulierum, et coguntur servire mulieribus. Loquitur enim de muliere c), quae est in administratione rerum, quae sibi arrogat sapientiam et regnum, non de ira mulierum, quamvis hoc verum est, quod impotentiori animo mulier quam vir sit. Neque hic damnatur sexus, quae est creatura Dei. Distinguendus enim est sexus a suis vitiis, sicut superius opera Dei a consiliis hominum distinxit. Homo est opus Dei, sed ultra hoc opus etiam sua consilia vult sequi, et non regi a solo Deo, a quo tamen solo Deo creatus est et conditus. Sic etiam discernendus est sexus a suis vitiis. Mulier d), ut est creatura Dei, cum reverentia spectanda est, ad hoc enim est creata, ut circa virum sit, ut filios nutriat, et educet honeste et pie, ut subdita sit viro. Viris autem mandatum, ut ipsi regant et imperium habeant in mulieres et familiam. Si vero mulier relicto suo officio imperium sumat in maritum, jam non facit opus, ad quod creata est, sed

c) Mulier imperans (1536). d) Mulier. 1536: Mulieris officium.

quod est ex proprio vitio ac malo; non enim creavit Deus hunc sexum ad dominium, ideo nunquam feliciter regunt.

Contra haec possent objici historiae Amasonum e), graecis scriptoribus celebratae, quae feruntur tenuisse imperium et bella gessisse, ego vero credo fabulam esse, quod de illis dicitur. Quod autem Aethiopes mulieres et reges et principes eligunt f), more quidem suo (sicut in actis Candacis reginae Aethiopae fit mentio), sed stulte faciunt. Sicut saepe stulti principes praeficiuntur regno. Nunquam vero est hoc permissum divinitus, ut mulier regnet. Hoc quidem fieri potest, ut in locum regis et regni constituatur, sed tamen semper habet senatum principum virorum, quorum consilio omnia administrentur; etiamsi igitur mulier collocetur in regnum, non tamen per hoc confirmatum est regnum mulierum. Textus enim est clarus: Sub potestate viri eris, et ipse dominabitur tui g). Mulier est condita in suum usum, scilicet ad prudentiam et rationem educandae prolis. Unusquisque enim sicut est conditus, sic aptissime operatur. Es greift ein Weib viel besser zu einem Kind mit dem kleinesten Finger, denn ein Mann mit beiden Fäusten. Ergo maneat unusquisque in eo opere, ad quod vocatus est a Deo et constitutus.

Summa itaque hujus loci est: Inter cetera impedimenta pacis illius, quam cor humanum debet habere, etiam est mulier, illa scilicet, quae non sinit praestare virum, quod potest, sic Samson h)

---

e) Amazones. f) Mulieres imperant apud Aethiopes. g) Gen. 3. h) Samson.

nobilis omnino vir per Dalilam [162]) mulierem vitiosam seductus est. Non enim sunt contentae sua colu et lana, sed volunt viris praescribere, etiam in iis, quae ad rerum publicarum regimen pertinent. Tales, inquam, mulieres, inquit Salomon, valde odi; sunt enim amariores morte, quia sunt magna causa nostrae vanitatis. Nam si viri coeperint sese illis dedere, omnia pessum eunt, sicut Samsoni i) accidit. Sicut et Salomon k) ipse desipuit per mulieres. Hoc ergo ait: Sicut vidi nimis justos et nimis impios, ita vidi mulieres dominatrices, magnam scilicet vanitatem, non propter sexum, sed propter istos laqueos et retia. Sapientes ergo per verbum Dei hos laqueos, non ipsum sexum fugiunt.

Et ecce hoc inveni, dicit concionator, unum post unum, ut invenirem rationem, adhuc quaerit anima mea, et non inveni ego. Virum unum de mille inveni. Mulierem vero in omnibus non inveni.

Id est: experientia mea et observantia in aliis multa didici, omnia scilicet esse vana, idem discant et alii. Haec enim est summa humana sapientia l), scire quod nulla sapientia quidquam valeat aut efficiat, nisi quantum Deus fortunat. Sicut Socrates dixit m): Hoc scio quod nescio, si tamen recte intellexit. Unum post unum, Eins nach dem andern, id est, singula studia perlustravi, ubique invenio, neminem posse suo consilio recte vivere.

---

i) Samson. k) Salomon. l) Humana sapientia summa. 1536: Sapientia summa, scire se nihil scire. m) Socratis dictum.

162) Dalidam (1532).

Et adhuc quaerit anima mea, id est, vanitatem in me et aliis video, nec tamen cesso insanire, nec mihi tempero, quin quaeram id, quod scio me non inventurum, virum de mille unum, id est, qui videat suam sapientiam nihil esse, utcunque videant res semper aliter evenire, quam ipsi consuluerunt, tamen [163]) rari sunt, qui hanc sapientiam negativam assecuti sunt. Ita et Demosthenes n) post consumptam sapientiam omnem dixit, sapientiam nihil prodesse. Inde etiam philosophi o) dixerunt, omnia temere fieri ac volvente fortuna. Neque enim cogitare poterant divinam sapientiam majorem et altiorem esse nostris consiliis et studiis.

Mulierem vero in omnibus non invenio.

Si viri hoc non praestant vel tam pauci, multo minus mulieres. Iterum loquitur de sexu muliebri, ut est extra gratiam in natura et sub sole. Non enim praescribit natura Dei operibus et miraculis. Possit, inquit, inter mille viros aliquando vel unus inveniri, qui experientia rerum tandem eo pervenerit, quod dicat: Mea consilia et studia non succedunt, nihil efficiunt, et per hoc aptus ad regendum sit factus. Ex mulieribus vero ne una quidem eo pervenit propter divinam ordinationem. Ergo non sunt in his rebus audiendae.

Et ecce hoc unum inveni, quod Deus hominem rectum condidit, ipsi autem quaerunt multas artes.

Hoc torserunt hactenus scholastici ad liberum

---

n) Demosthenes. o) Philosophi.

163) 1532: tam.

arbitrium statuendum, contra gratiam, contra sententiam Salomonis, cum Salomon loquatur de rebus corporalibus toto hoc libro. Neque instituit (ut etiam ante dictum) conscientias coram Deo (nisi quod aliquando meminit timoris Domini), sed instituit hominem in politia, ut coerceat cor ejus.

Est ergo haec sententia: Deus posuit hominem in res, dedit certa opera, certum laborem, sed homo non manet in illis laboribus, sed accersit aliena per cupiditatem. Deus fecit hominem rectum p), ſtracks für ſich, ut videat quae coram se et ob oculos sunt, id est, res praesentes, et illis sit contentus. Sed homo relicta illa rectitudine disputat de futuris. Vult ergo dicere Salomon: Hoc ego ex mea investigatione inveni, quod nemo sua sorte contentus vivit, quod omnes habent transversos et obliquos oculos, sicut Ovidius q) dixit: Fertilior seges est [164]) alieno semper in agro, Vicinumque pecus grandius uber habet, et: Optat ephippia bos piger, optat arare caballus r). Tales oculos habebat Petrus, dum diceret: Hic autem quid s)? Est ergo haec rectitudo, in externis rebus, ut recta prae se quisque spectet in agendo, regendo, nec spectet alio.

Ipsi autem quaerunt multas artes.

Id est: occupant se multis consiliis et anxiis cogitationibus, quomodo in futurum omnia regant, relictis praesentibus, et quae Deus ob oculos po-

---

p) Hominem rectum creatum quid sit (1536). q) Ovidius. r) Horatius. s) Johan. ult.

164) „est“ deest (1532).

suit. Sic mulier officia viri, vir mulieris officia sectatur. Est ergo haec sententia epiphonema humanae vanitatis.

Quis tam sapiens est? et quis ista explicabit?

Id est: Cunctae res difficiles, non potest satis dici. Sic enim sumus immersi nostris studiis et consiliis, ut etiam non intelligamus nos sic esse immersos, quasi dicat: Volo tacere de ipso facto, imo dogma et jus ipsum non intelligunt homines, tantum abest ut praestare possunt [165]): estque significatio, quam vanum sit cor humanum.

Sapientia illustrat faciem justi, impudens autem odio dignus est.

Haec pertinere puto ad superiora. Est autem figura ista loquendi, qua hic utitur Salomon, ex parte nobis cognita ex aliis scripturae locis, qui similem figuram habent, Prover. 7. t) de muliere meretrice, cui adolescens fit obviam, dicitur: Forti vultu blanditur. Item occurrit ei mulier fortis facie. Sic Daniel. 8. u): Rex fortis facie. Significat autem haec figura impudentiam et audaciam vultus; ubi nullus est timor, nulla reverentia. Sicut de stulto dicitur in proverbio: Obfirmat faciem suam stultus, id est, erecta cervice, sine metu et pudore est.

Potest autem hic locus dupliciter intelligi, primo active, ut sit: Sapientia illustrat faciem justi, idem quod sapientia facit eum jucundo vultu. Contra:

---

t) Proverb. 7. u) Dan. 8. 1536: Fortis facie.
165) possit.

stulti hypocritae tristes incedunt, ut de pharisaeis Matth. 6 [166]) v) dicit Christus: Exterminant facies suas, id est: Sie sehen saur. Sapiens autem semper sereno vultu incedit, quia facit quod potest, impius semper odibilem et nubilum vultum habet. Est ergo quaedam Gnome proverbialis, quasi dicat: Man siehet an den Augen wohl, wo ein fröhlich Herz ist. Impii autem sunt semper fere caperata fronte, sicut enim est cor ipsorum, ita et vultus. Secundo passive eadem fere sententia sic exponi potest, id est: qui est hilari vultu, etiam est jucundus aliis, alios delectat, jucunda et laeta est ejus conversatio. Est autem hoc modò epiphonema in commendationem sapientis.

Caput octavum.

Ego os regis observo, et juramentum Dei.

Hoc libro id visus est agere Salomon, ut deterreat homines ab agendo. Quod cum facit, rursus eget non minori opera, ut revocet eos ad operandum. Sicut nos praedicantes fidem, omnino dehortamur ab operibus homines, ut praedicemus Sabbatum. Rursus cum plantata est fides, hoc agendum est w), ut Christiani sint negotiosissimi erga proximum, et prorsus nullum hic agant sabbatum, sed sint zelotae bonorum operum, ardeant in caritate erga proximum, et sabbatum tantum agant coram Deo x). Ita hic docet, ut nihil agamus se-

---

v) Matth. 6. w) Fides. Opera (1536). x) Sabbatum servandum.

166) sexto (1532).

cundum[167]) consilia studiaque nostra, sed omnia secundum verbum Dei. Hoc agit quasi dimidio hoc capite; cum ergo ait:

Ego os regis observo,

Adhortatur ad politicam obedientiam. Intelligendum est enim de politico rege et regno, quamquam possit de Deo quoque accipi, sed non pro conseqnentia textus. Induit autem personam subditorum. Ego, inquit, observarem os regis; consulo ut regi sis subditus, noli tua studia sectari. Satis habes quod facias in politia, modo fac quod rex praecipit, qui est divinitus ordinatus, ut illum audias. Notanter vero dicit: os Regis, quia vult nos alligare et obedire verbo. Quidquid magistratus dictat secundum leges, hoc facito y), inquit,

Et observa juramentum Dei.

Hoc juramentum intellige, non quo jurat Deus, sed quo juratur Deo. Obedias, inquit, magistratui, secundum juramentum Dei, id est, sicut jurasti Deo. Nam qui magistratui jurat, non homini, sed Deo jurat. Hic egregie vides comprehensam politicam obedientiam in obedientia Dei. Sicut et Paulus servos obedire vult dominis, non ut hominibus, sed ut Deo z).

---

y) Magistratui obedientia praestanda (1536). z) Ephes. 6. Coloss. 3.

167) „consilia studiaque nostra, sed omnia secundum" deest 1536.

Ne festines recedere a facie ejus, neque stes in re mala, quia omnia quae vult faciet. Et verbum regis potens est, nec dicere ei quisquam potest: quid facis?

A facie recedere a) Hebraismus est, in scripturis sacris frequens, in Jona, in Hiob, in Matthaeo item capite 18: Egressus servus a facie domini invenit conservum etc. Est autem a facie recedere nihil aliud, quam declinare ab obedientia, seu obedientiam negare aut detrectare.

Neque stes in re mala.

Ne persevera in inobedientia, sed in obedientia persevera, quasi dicat: Etiamsi statim non succedat res, sicut rex mandavit, etiamsi labatur rex, tamen persevera, et fac ut os regis in majestate maneat, ne contra agas, quia non effugies ejus poenam.

Omnia enim quae vult faciet.

Scilicet in regno suo. Loquitur enim de politica administratione. Ille justitiam colet, inquit, et defendet. Ad hoc enim est a Deo constitutus, tu ergo time. Idem omnino, quod Paulus Rom. 13 b) dicit: Qui resistunt, sibi judicium acquirunt. Neque possibile est, ut effugiat judicium, qui magistratui resistit. Tutissimum igitur fuerit obedire magistratui simpliciter. Et declarat potentiam regis.

---

a) Recedere a facie. b) Rom. 13.

Quaecunque voluerit, faciet.

Ordinatio enim divina c) est. Quare nihil efficies, neque resistere poteris, etiamsi seditionem et tumultum moveas. Aut igitur obedi cum tuo bono, aut fuge cum tuo malo. Eo quod verbum regis potens sit. Verbum regis ist ein rechter Soltan d). Est enim a voce שָׁלִיט quod significat dominari. Omnia haec dicuntur, ut hortetur ad servandam obedientiam et ad perseverandum in opere nobis mandato, etiamsi statim non succedat res ex voto.

Servans praeceptum, non cognoscet rem malam.

Conclusio est praecedentium. Potest autem hoc dupliciter exponi. Primo sic: Qui servat praeceptum, non volet cognoscere rem malam, id est, cavet et custodit sese, ne [168]) operetur male. Secundo: Qui servat praeceptum, nihil mali patietur. Utraque bona sententia, sed prior magis mihi placet.

Cor sapientis novit tempus et judicium.

Vocabulum judicium e) cum solum ponitur, fere significat vindictam, Strafe. Sic Roman. 13: Judicium sibi acquirunt, id est: Sie bleiben nicht ungestraft. Sic et hic accipitur: Sapiens scit, quod [169]) judicio sit definita hora, contra inobe-

---

c) Magistratus ordinatio Dei. d) Soltan. e) Judicium.

168) non. 169) quo 1536.

dientes, et quod nemo possit evadere illam horam. Ergo timet Deum, et nihil mali operatur.

Quia definitum est suum cuique proposito tempus et suum judicium. Ingens est homini [170]) calamitas, quia ipse nescit quid sit, quod est, et hoc quod futurum est, quis annunciabit ei?

Comminatio est ad inobedientes a sequentibus poenis, quasi dicat: Consulo ut obedientes sitis, et subditi magistratibus, si quis vero non obedit neque subdi vult magistratui, is sane eat, sed hoc lucri inde habebit, quod multis malis se immiscet et multas afflictiones et calamitates incurret. Pavet ad omnem horam, neque tamen evadet. Melius igitur facere non potest, quam simpliciter obedire. Quid enim prodest non velle obedire, cum non possis evadere judicium? sicut rusticis accidit. Ita deberent concionatores exhortari tumultuantes et seditiosos. Divinitus enim ordinatum est ac definitum judicium, et ultio seu poena omnibus inobedientibus, quod nemo evadit f). Estque ingens consolatio magistratuum, patrumfamilias et praeceptorum, qui, ubi faciunt quod possunt, illi vero praefracti ac inobedientes sunt, noluntqne corrigi et illorum manus evadunt, aequo bonoque animo sint, certi quod tamen non sint evasuri poenam.

Quia multa hominis adflictio.

Non obedientis [171]) scilicet ori regis, quia

---

f) Inobedientia poena certa (1536).

170) hominis 1532. 171) obedientes.

ipse nescit, quid sit, quod est. Generali sententia singulare probat, quasi dicat: Inobediens est aversis oculis, non videt, quid sit prae oculis suis; non videt quid agat, aut quantum malum inobedientia sit.

Et hoc quod futurum est etc.

Id est: Inobediens nescit quid futurum sit. Cupit varia per inobedientiam, sperat magna se consecuturum esse, et fallitur. Pollicetur sibi impunitatem, sed cum minime sperat, adest judicium et hora, et perit in sua inobedientia. Summa: Impius praesentem obedientiam contemnit, futuram poenam non intuetur. Sapiens vero non sic agit, sed cognoscit, quae mala maneant inobedientes, ideoque obedit.

Non enim est homo potens in spiritum suum, nec potest prohibere spiritum suum, nec est potens in die mortis, nec potest evadere in bello.

Declarat se ipsum, quid sit, quod supra dixit de regis obedientia. Sermo regis potestate plenus est, divinitus enim sic ordinatum est, ut non possit impunitus evadere, qui contemnit obedire. Non habet homo tantam potentiam, ut possit repugnare regi. Quare ergo non obedit? Non potest spiritum suum prohibere, id est, vitam, spiraculum vitae non potest prohibere. Er muß herhalten. Non evadet. Non est pòtens in die mortis, nec evadet in die belli. Summa: Deus habet tot judicia et tam multos modòs plectendi, ut nemo possit illius ma-

nus evadere, et si alia evaserit, conjicit eum in bellum, ut ibi pereat. Concludit ergo:

Ideo non eripiet impietas possessorem suum.

Id est: Esto ergo obediens, fac quod facere debes, quia nulla tibi redemptio et impunitas ab inobedientia erit. Ne quis putet a me doceri rebellionem aut cessationem.

Omnia haec consideravi, et adjeci cor meum ad omne opus, quod fit sub sole. Dominatur interdum homo homini ad malum ipsius.

Nunc redit ad catalogum suum, iterum enumerans miserias humanae vanitatis. Inter haec omnia, quae recensui, etiam hoc vidi, quod dominatur homo homini ad malum suum. Hoc ad personam subiectam est referendum, id est, saepe contingit, quod regnent tyranni, regnent autem ad affligendos subditos. Et nihilominus observandum est os regis, et non movenda seditio g). Nam etiamsi bonus imperet, tamen nulla gratia est, et non modo nulla gratia, sed etiam homines ipsi fiunt deteriores, sicut nunc vulgus liberatum a legibus et vinculis pontificis [172]). Tyrannidem omnes cupiunt tolli; ubi vero liberantur, ne hoc quidem ferunt. Concedit ergo malos esse magistratus, ad puniendos subditos, sed tamen hos quoque ferendos.

---

g) Magistratus mali ferendi (1536).

172) Pontificiis 1532.

Et vidi impios sepultos, qui in loco sancto ambulabant, et oblivioni traditi sunt, quod taliter se gessissent. Hoc quoque vanitas est.

Similis est locus Amos 6 h): Vae vobis, qui opulenti estis in Sion, ingredientes pompatice domum i) Israel. Est autem ingredi ecclesiam sive domum Dei Hebraica figura, idem quod gerere magistratum in populo Dei, sicut Deut. 22 k) interdictum est Ammonitis, ne ingrederentur in ecclesiam Dei, id est, ne dominarentur in republica Judaeorum. Poterant enim Ammonitae esse in populo Dei, sed non gerere magistratum. Sic hic quoque erant in loco sancto, id est, administrabant rempublicam. Dicit itaque: Vidi impios sepultos, id est, tyrannos exstinctos esse, bonum principem succedere, ut exstincto Saule Davidem. Sed impii a tyrannide liberati[173]) obliviscuntur liberationis. Sic homines plane non agnoscunt beneficia, sic et nos statim obliti sumus optimi principis Friderici l)[174]), pacis autoris. Nemo cogitat, quae bona per illum assecuti simus, et a quibus malis liberati. Semper alia desideramns, praesentium negligentes et obliti. Omnia vero haec ideo dicuntur a Salomone, ut discamus nosse mundum, et sapienter uti stultitia hujus mundi.

Ideo hic liber maxime est legendus novis rectoribus m), qui cum habeant caput distentum opi-

h) Amos 6. i) Ingredi domum. 1536: Ingredi ecclesiam. k) Deut. 22. l) Frider. Elector. m) Omnibus conducat is liber.

173) libertai. 174) Federici 1536.

nionibus, volunt mundum regere, secundum s[illegible] consilia, et omnia ad amussim exigere. Sed [illegible] prius debebant discere nosse mundum, scilicet e[illegible] injustum, praefractum, inobedientem, malitiosum, [illegible] in summa ingratum. Agant autem gratias, si [illegible] centesimam partem possint allicere ad servand[illegible] leges. Sic et nostri sectarii non sunt contenti pr[illegible] senti bono, praedicatione fidei, et gratia Evange[illegible] omnia perturbant novis et vanis dogmatibus. C[illegible] silium ergo Salomonis est, ut sciamus hanc va[illegible] tatem ipsorum, doceamusque contra quantum p[illegible] sumus. Ceterum quos non possumus nostris [illegible] monitionibus convertere ad fidem ac retinere, il[illegible] sinamus valere, quoniam mali etiam indurantur [illegible] sidua poena. Ideoque dicit:

Quia non fit judicium malorum oper[illegible] cito, propterea implentur corda filioru[illegible] hominum, ut operentur malum.

Hoc potest dupliciter exponi. Active sic: id est, impii pergunt faciendo malum propter dilationem poenae ipsorum. Quia Deus non sic statim vindicat ut homines, ideo illi insolescunt. Passive vero: nos qui videmus eos ire impunitos, replemur multis malis, indignamur, frangimur taedio et desinimus bene agere. Utrumque enim efficit poena dilata, primum reddit pejores et indurat, deinde etiam alios quoque, qui haec vident, facit ut tepefiant et cessent. Utraque sententia bona est.

Peccator etsi centies mala faciet, et diu vivat[175], tamen cognovi quod bene erit

---

175) juvat.

timentibus Deum, et his qui verentur faciem ejus. Et non bene erit impio. et dies ejus, qui sunt sicut umbra, non differentur, quia Deum non timet[176]).

Consolatur jam non hominem, sed cor pium. Homo enim non potest ferre hoc, nec tantam ingratitudinem videre, neque David ferre poterat ingratum Nabal n), occidere volens, 1. Reg. 25., cogitatione humana. Dicit ergo: Disce tantum mundum cognoscere. Non potes eum aliter condere, sie wird sich nicht nach dir lenken, du mußt dich nach ihr lenken, ut scias illum esse ingratum, et omnium beneficiorum immemorem. Haec sciens bene habebis. Vult itaque dicere: Peccator etsi centies, id est: Etiamsi poenam differas et non vindices injuriam, tamen olim dabit poenas. Non potest fieri, quin illi ingrati puniantur. Noli ergo festinare, ut velis mundum justificare, vel omnes vindicare. Contentus sis vel millesima parte, si eam ad gratitudinem convertere possis. Peccet mundus, non tu, non enim effugiet ille vindictam; sicut Judaei Vespasianum invenerunt punitorem, utcunque homicidae prophetarum et Christi differebantur in poena.

Et dies ejus non differentur. Apparet quidem in longum differri poenam impiorum, maxime adflictis, sed cum venerit dies et poena impii, videtur nobis esse nimis subita, sicut Hiob o) dicit, quod impiis dies eorum venit insperato, et Psal. Viri enim impii non dimidiabunt dies suos, id est, cum

---

n) Nabal 1. Reg. 25. o) Hiob.

176) timent. 1532.

semper moliantur et sperent infinita, antea moriuntur quam dimidium effecerint aut consecuti sint.

Est et ista vanitas, quae fit super terram. Sunt justi quibus evenit, quasi fecerint opera impiorum, et sunt impii, quibus evenit, quasi fecerint opera justorum. Et dixi etiam hoc vanum esse.

Haec duo valde offendunt cor humanum, poenam differri ingratis, et accidere mala bonis, bonos esse invisos, impios vero esse in pretio, et tamen ista fiunt. Olim impiis sacerdotibus omnia dabantur, nunc piis non datur victus, non aluntur qui docent in scholis. Liberatoribus mundi nihil est gratiae, nisi quod conculcantur; qui vero perdunt mundum et malis immergunt, illis abunde omnia dantur, sicut nunc pluris conducuntur milites, quam qui recte docent. Haec toties dicuntur, ut erudiamus cor et bonos instituamus, ut discant, quid sit mundus p), nempe furibunda et ingrata bestia, quae beneficiis efferatur, quae nihil potest, nisi exaltare impios et opprimere pios. Nihil aliud nobis est exspectandum.

Laudavi igitur laetitiam, quoniam nihil melius est homini sub sole, nisi comedere et bibere et gaudere. Hoc enim habet ex labore per dies vitae suae, quos Deus illi largitur sub sole.

Repetitio est, sed necessaria, quia tam multa dixit tristia, ut videretur sui scopi oblitus. Mundus

p) Mundus 1536 † quod sit.

est ingratus, semper spectat alio, praesentia fastidit, utcunque bona sint. Sinit te laborare, fatigari et contemnit ac persequitur. Ideo et tu lude mundum, sicut et te lusit, fac quod debes, et omitte curas et sollicitudines, et sis animo hilari et tranquillo, sciens sic esse mundum, non reddi bonis praemia.

Et adjeci cor meum ad investigandum sapientiam, et ad contemplandum labores atque aerumnas, quae fiunt super terram, quod quis nec die nec nocte somnum oculis suis videt.

Id est: cum in hoc versarer et discruciaretur cor meum, et meditarer in sapientia, quomodo omnia agerentur recte in terra, nihil effeci, nisi quod insomnes duxi noctes. Idem quoque tibi continget, si nolueris esse laetus, sed fatigari tuis studiis et consiliis. Hoc enim nihil aliud est, quam quod fingitur de stulto, qui humeris totum mundum gestare nititur, hoc est enim illum velle regere sua industria et praescriptis legibus. Quin ergo potius committis res omnes Deo, nec sis curiosus in re aliena.

Consideravi omnia opera Dei, quod non possit homo invenire opus, quod fit sub sole, et quo plus laboraverit ad quaerendum, eo minus invenit, etsi dixerit se esse sapientem, non tamen poterit invenire.

Copia Salomonica est: Similis sententia cum illa, quae supra posita est. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem incurvaverit

ipse. Sic et hic, nemo praesumat se omnia recte facere posse. Hoc enim solius Dei est opus, et non hominis; impossibile est enim, ut homines eo ducantur, ut faciant quod Deus solus facit. Nam homo non inspicit praesentia, nec iis satiatur, sed solum in futura respicit. Cor humanum impletur variis suis consiliis, deus autem certo limite habet omnia praescripta, praesentia sunt illi praesentia, futura futura; nos vero nunquam quietamur praesentibus, neque etiam futuris satiamur. Quod est nihil aliud quam praesentia non esse praesentia, nec item futura futura. Hujus rei experientia coëgit poetas dicere, omnia fato regi, et fingere Parcas abrumpentes telam nostram, etiam tum cum in optima vita volumus vivere. Sic Julius Caesar q) non invenit, id est, non complevit opus suum, destituit illum cogitatio in media actione. Dum enim cogitat constituere aut restituere verius rempublicam romanam, in ipso conatu occidit. Absalom r) dum meditatur regnum, miserrime perit.

Caput nonum [177]).

Omnia haec tractavi corde meo, ut explorarem omnia. Sunt justi et sunt sapientes, quorum servi in manu Dei sunt, et tamen amorem vel odium non cognoscit homo ullius qui est coram illo.

Oportet hic diligenter meminisse argumenti, ne

q) Julius Caesar. r) Absalom.
177) Cap. XI.

audiamus illos [s]), qui hunc textum traxerunt ad dignitatem odii vel amoris Dei, et impie docent, neminem certum esse de gratia etc., cum tamen Salomon loquatur tantum de operibus, quae fiunt sub sole, id est, inter homines, in politica vita regenda. Vide, inquit, quanta est curvitas in orbe terrarum, ubi etiam hoc invenio, esse qui juste et sapienter gubernant, quorum servi et subditi sunt in manu Dei, et ab eo fortunantur et proteguntur, sicut Salomon [t]), sicut David [u]). Et tamen non cognoscit homo, nec amorem nec odium (utrumque active accipio), id est, adeo depravati sunt homines, quod etiam istos justos et sapientes, quorum servos vident a Deo gubernari et fortunari, non agnoscunt benefactores, seu eorum amorem vel etiam odium. Nihil citius obliviscuntur, quam beneficiorum. Salomon [v]) sapienter regnavit, in pace, in opulentia magna; defuncto Salomone, statim queruntur de jugo Salomonis; ibi nulla memoria erat beneficiorum illius. Quicunque fuit status mundi, semper fuit mundo intolerabilis [w]). Italia [x]) nobis exemplo est, quae sive bellum sive pacem habeat ferre non potest: pacis tempore quaerunt bellum, belli tempore arripiunt pacem. Praesentibus mundus non potest stare, futuris semper discruciatur. Sic Germania [y]) semper nova quaerit, ad initium evangelii avide omnes accurrebant; ubi vero pervasit evangelium, fastidimus, obliti tantorum bene-

---

s) Sophistae depravarunt hanc sententiam. t) Salomon. u) David. v) Salomon. w) Mundus ingratus et curiosus (1536). x) Italia. y) Germania.

ficiorum. Nunc concurritur ad sacramentarios [z]), ubi vero illi inveteraverint, statim illis fastiditis alia cupient. Breviter: mundus non potest ferre, sive bene sive male gubernetur. Quem Dominus non juverit in gubernatione, is non posset vel unum diem vivere sine periculo.

Quare qui vult servire mundo, sapientia, justitia, sive bonis quibuscunque, nihil exspectet, nisi extrema omnia. Sic etiam David [a]) et Salomon optimi reges amabant bonos, oderant malos, sed populus non agnoscebat amorem, immemores omnium beneficiorum et bonorum. Ideo recte scripsit Johannes [b]), mundum in maligno esse positum, quia nisi inquietudo et summa malitia ibi est. Cui ergo placeat haec vita, ubi, quamdiu vivitur, in summis periculis et maxima inquietudine vivitur?

Aequalis utrisque eventus est; evenit enim justo non aliter atque impio, bono et mundo ut immundo, sacrificanti ut non sacrificanti. Sicut evenit perjuro, ita evenit timenti votum. Hoc est pessimum inter omnia, quae fiunt sub sole, quod utrisque eadem eveniunt. Unde et impletur cor hominum malo, et manet stultitia in cordibus eorum, per omnem vitam, quo usque moriantur.

Rursus copia Salomonica, quasi dicat: Mundus est omnino inquietus et ingratus, tam non est memoria bonorum, quam malorum. Hoc ergo iterum intelligendum quoad mundum, non quoad Deum, justi

---

z) Sacramentarii. a) David. b) Johan. 5.

viventes contemnuntur apud mundum et in mundo, apud Deum vero bene habebunt, sicut supra dixit: Qui timet Deum, bene habebit. Mundus autem dat eandem mercedem bonis et malis; omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est.

Hoc est ergo pessimum inter omnia, quae fiunt sub sole.

Id est: cor [178]) humanum infirmius est, quam ut possit ferre hanc perversitatem mundi. Qui non habent timorem Domini, non possunt patienter ferre hanc ingratitudinem, item nullum esse respectum bonorum et malorum, idem accidere omnibus.

Hinc ergo impletur cor hominum malitia.

Id est, indignatione, Verdruß, quia non intelligunt, nec possunt se ita instituere, ut imitentur Deum, qui pluit super bonos et malos. Credo autem hic taxari philosophos et monachos, qui ista non ferentes deserebant mundum, non volebant servire ingrato mundo. Vult autem Salomon, ut versemur in rebus et agnoscamus mundum neque deterreamur ejus [179]) ingratitudine ab agendo, sed imitemur patrem [180]) nostrum, qui quotidie solem suum oriri facit super bonos et malos, Matth. 5.

Et manet stultitia in cordibus eorum et novissima eorum apud mortuos.

Id est: moriuntur sine ullo opere, quasi nunquam vixissent, umbra sunt in hac vita, nemini utiles, nemo participat illorum officiis, nec bonis,

---

178) uor (1532). 179) pius (1536). 180) eatrem (1536).

et quod sperant in futurum, morte praevenitur. Ideoque ultimum eorum nihil nisi mors est, nihil boni relinquunt aliis, tu vero sic utere vita, ut et tu laeteris et aliis prosis.

Quoniam id quod eligitur apud omnes[181]) viventes, est spes (quoniam canis vivus melior est leone mortuo).

Ab hoc loco parat Salomon exhortationem, ut faciamus bonum, donec possumus. Nihil moveamur ingratitudine mundi, sed pergamus in officio et retineamus spem, quia apud omnes homines superstes spes est, quasi dicat: Noli sic contemnere vitam, ut vel desperes, vel vites consortia hominum. Quia spes est, id quod eligitur, id est, optimum inter [182]) mortales est spes vel fiducia c). Qui enim sunt viventes inter homines, spem adhuc relinquunt. Propterea facienda sunt quae potes, quia propter reliquias serviendum est toti massae.

Sic bonus minister verbi d) Dei propter bonos cives praedicat verbum Dei, utcunque multi vituperent. Sic si praeceptor e) duos bonos discipulos habeat, propter hos laborandum est, etiamsi viginti alios habeat malae indolis ac desperatos. Sic Magistratus f) quoque agere debet, si non potest totam civitatem in officio continere, tamen inveniet unum et alterum civem, aqud quos aliquid efficiet etc. Hoc ergo ait Salomon, ne desperatione frangamur, neque etiam praesumamus. Non enim

---

c) Spes optima res (1536). d) Concionator. e) Paedagogus. f) Magistratus.

181) homines (1536). 182) apud (1532).

desperandum est de vivis ut[183]) de mortuis, de quibus nulla spes haberi potest. Perferendae importunitates hominum, nec est de omnibus desperandum, etiam si multi sunt perditi.

Quoniam canis vivus melior est leone mortuo.

Proverbium interserit, et vult dicere: Sufficit aliquam partem corrigere in mundo, sicut canis vivus, quantumvis contemptum animal, praestat magno cadaveri robustissimi leonis. Hoc nos sic dicimus: Melius est in manibus passer, quam sub dubio grus; item germanice: Man soll das Kind nicht mit dem Bad ausgießen.

Quoniam viventes sciant[184]) se morituros, mortui autem nihil sciunt amplius, et non est eis merces; oblivioni enim tradita est memoria eorum, neque amplius amantur, aut odio habentur, aut illis invidetur, neque partem praeterea habent in mundo, in omnibus quae fiunt sub sole.

Viventes, inquit, sciunt se morituros, ideo in vita utuntur ista spe. Ne ergo differant de die in diem operari seu benefacere, sicut stulti ac molliculi faciunt, qui semper respiciunt aliorum exempla, non prius recte facturi, nisi alios videant recte facere.

Mortui autem nihil sciunt amplius et non est in[185]) eis merces.

Inepte torsit hunc locum Hieronymus g), ad

g) Hieronymus.

183) et. 184) sciunt (1532). 185) „in" deest (1532).

amore dignus sit etc. voluerunt homines incertos reddere de voluntate Dei erga nos.

Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleo unge caput tuum.

Pro ritu illius regionis loquitur Salomon. Romani et Graeci purpuram, orientales et maxime Judaei candidam vestem o) commendant propter lotionem[187]) et munditiem, quam illi studiose colebant, sicut et Turca lineis vestibus pro splendidissimis utitur, et nos in summis festis albis sub papatu usi sumus. Dicit ergo: Sis semper laetus, utere illis vestibus, quibus uti solebas tempore conviviorum et festorum.

Et[188]) oleo unge caput tuum.

Id est: Utere etiam unguentis, quae Deus dedit. Iterum pro consuetudine illius gentis loquitur, quibus in summis deliciis erant unguenta p). Ait ergo: Tu vivis in media vanitate, fruere ergo vita, ac noli te perdere indignationibus, tolle moerorem ex animo. Non potes mundum melius subsannare, nisi ut rideas, cum ille irascitur, sit hoc tibi satis, quod habes Deum propitium. Quid est enim mundi malitia ad comparationem dulcedinis divinae? Neque hic suadet vitam voluptuariam et luxum eorum, qui non sentiunt istam vanitatem (hoc enim esset adjicere oleum igni), sed de piis loquitur, qui sentiunt vexationes et molestias mundi. Istorum de-

---

o) Vestitus Romanorum, Graecorum, Judaeorum. 1538: Candida vestis. p) Unguenta pretiosa.

187) lotiones (1532). 188) Est.

jecta corda vult erigere. Istis laetitiam consulit, non hominibus praefractis et impiis, qui alioqui voluptatibus et deliciis diffluunt. Idem agit cum dicit:

Fruere vita cum uxore tua, quam diligis, cunctis diebus vanitatis tuae, quos dedit tibi Deus sub sole omni tempore vanitatis tuae. Haec enim est pars tua in vita et in labore tuo, quam tibi Deus largitus est sub sole.

Quasi dicat: Du bringst doch nicht mehr davon, sicut Paulus I. Timoth. 6. q): Habentes victum et amictum his contenti simus. Qui vero his non contenti alia praeterea cupiunt, ac indignatione rerum adflictarum et molestarum sese discruciant, dolorem dolori, vanitatem vanitati addunt, et simul bonis omnibus se privant.

Quidquid manus tua invenerit, labores totis viribus, quia in inferno, quo tu properas, nullum est opus, neque eruditio, neque scientia, neque sapientia.

Haec est altera pars exhortationis, qua obviat [189]) otiosis illis, qui quia vident mundum ingratum et sentiunt molestiam, nihil deinde volunt operari, nec quidquam boni facere. Utrumque ergo praecipit, scilicet ut laetemur, sic tamen, ne otiemur, sed laboremus juxta praeceptum Dei, Gen. 3. r) Labor adsit, curae mordentes ac adfligentes absint, corpus labore fatigandum, cor vero a curis sit

q) 1. Timoth. 6. r) Gen. 3.
189) obvia.

quietum et praesentibus contentum. Adde tertium, ne molestia adfligas cor tuum, quia vides mundum ingratum scilicet. Notanter autem dicit: Invenerit, id est, non tua consilia facias, sed quod praesto erit, et [190]) quod Deus jussit et obtulit, nihil sollicitus de futuro. Quod autem dicit, totis viribus, exigit industriam et diligentiam.

Quia in inferno nullum est opus etc.

Alius locus, quod mortui nihil sentiant, nulla enim, inquit, est ibi cogitatio, ars, cognitio, sapientia. Sensit ergo Salomon mortuos omnino dormire s), et nihil prorsus sentire. Jacent ibi mortui, non numerantes dies vel annos, sed excitati videbuntur sibi vix momentum dormivisse. Infernus t) autem significat foveam, sepulcrum, proprie vero me judice significat illum abditum recessum, in quo dormiunt mortui, extra hanc vitam, unde anima abit in suum locum (qualiscunque est, non enim corporalis esse potest), ut intelligas infernum dici, ubi continentur animae, et quasi quoddam sepulcrum animae, extra hunc corporalem mundum, sicut terra est sepulcrum corporis, quid autem illud sit, hoc est nobis in incognitum. Sic Genesis 42 et 43 [191]) u): Descendam lugens ad infernum. Item: Deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Non enim veri sancti descendunt ad inferos, ut ibi aliquid patiantur. Sunt itaque mortui extra locum v), quia quid-

---

s) Sententia Salomonis de mortuis. 1536: Mortuorum conditio. t) Infernus. u) Jacob Gen. 42 et 45. v) Mortui sunt extra locum (1536).

190) „et" deest (1532). 191) 45.

quid extra vitam hanc est, extra locum est, sicut et post resurrectionem exempti erimus a locis et temporibus. Sic Christus quoque extra locum est, contra illos, qui captivant Christum loco, cum tamen ubique sit, neque enim verbum Dei segregatur a carne, ubi Deus est, ibi caro Christi est, sed Deus est ubique, ergo et Christus quoque ubique est w).

Et verti me, et vidi quid ageretur sub sole, velocium non esse cursum nec fortium bellum, nihil ad parandum victum conferre industriam, neque prudentiam ad inquirendum [192]) divitias. Neque ut quis acceptus sit, quidquam profuerit esse artificem, sed omne istud a tempore et fortuna pendet.

Haec est quasi summa ac epilogus sui catalogi, quasi dicat: Es liegt nichts dran, was einer kann. Non ergo fac tua consilia vel studia, sed quod invenerit manus tua, hoc est, mane in certo opere oblato et mandato a Deo, relictis iis, quae te conantur impedire, sicut Sauli Samuel x) dixit: Mutaberis in alium virum et quod invenerit manus tua, hoc fac etc. Non praescripsit illi ullam legem, sed quaecunque res sese obtulerit, ea acceptanda, ibi laborandum est. Sic et hic Salomon docet: semper urge id quod prae manibus est et tuae vocationis. Es praedicator y) et [193]) minister verbi Dei, mane in lectione scripturae et docendi officio,

---

w) Christus est ubique. x) Samuel ad Saulem etc. y) Concionator.

192) adquirendum (1532). 193) vel (1532).

noli rapi in aliud, donec Dominus te rapuerit. Quidquid enim Dominus non dixerit aut jusserit, nihil proderit, id quod probat suo experimento dicens: Vidi veloces, quorum non erat cursus, et multos fortes, quibus tamen non dabatur victoria. Vidi item multos egregie sapientes, et tamen non habebant successum, multos egregie res gubernantes ac satis industrios, qui tamen nihil promovebant, es liegt nicht an der Person, er sei so geschickt als er wolle.

Saepe fortes in [194]) bello vincuntur a fragilibus. Et magni saepe exercitus a minoribus sunt caesi, quia res non est sita in robore. Sic Troia z) fuit munitissima, neque vires neque robora deerant, et tamen capta ac subversa est. Aderat enim hora illis a Deo statuta. Eadem ratione superioribus annis Galliae rex a Carolo Caesare victus et captus est a), cum tamen viribus et armis longe superaret. Quod dicit velocium non esse cursum, Hebraismus est. Nam illis currere b) significat aliquod officium gerere, ut Paulus ad Corinth.: Sic curro, non quasi in incertum. Item: Cursum consummavi etc.

Et non ad scientes favor.

Id est: Multi callent egregias artes [195]), norunt bonas literas, tamen manent contempti. Nemo eos curat, neque sectatur. Sic apud nos quoque satis est verbi, satis ingeniorum, non tamen possumus omnes convertere ad fidem. Neque tamen

z) Troia. a) Gallus a Carolo captus. b) Currere. Cursus.

194) 1536 † in. 195) † et 1532.

ideo cessandum est ab evangelio. Dominus enim regnat in ipsa infirmitate, ipse gubernabit, ipse faciet. Dominus potens est magnum ignem et flammam excitare, modo nos servemus scintillam. Variis etiam agitamur et vexamur cogitationibus in quaerendo victu. Ille fit typographus ut ditescat, et ecce perdit omnem rem familiarem. Non ergo satis est esse ingeniosum aut sapientem. Multa enim egregia ingenia, et optimi artifices extreme contemnuntur. Hoc est quod

Eventus fortuitus est in omnibus.

Id est: Ego non possum definire de eventu vel successu utcunque laboravero. Tu modo facias quod tui est officii, deus sua hora inveniet, ut utatur tuo labore. Nos de istis nihil possumus judicare, laborare debemus, sed non finem et eventum operis praestituere.

Nescit homo tempus suum, et quemadmodum pisces capiuntur hamo, et volucres laqueis, ita quoque homines irretiuntur tempore non bono, ubi repentina ingruerit calamitas.

Tempus hoc intellige, non solum finem ipsum vitae, sed omnem horam et eventum, quasi dicat: Laborandum est, etiamsi nescias, quid sit eventurum c), disce ergo literas, si volet Deus, dabit proventum et fructum per tuum studium. Similiter faciendum in omnibus aliis vitae negotiis et studiis, ut nos laboremus, eventum vero committamus Deo; hora enim successus est nobis abscondita.

---

c) Humanae cogitationes fallunt.

Et quemadmodum pisces.

Duabus pulchris similitudinibus probat, quod fere contra nostra consilia et spem accidant res. Piscis d) cibum petit, et hamum vorat, aves e) autem [196]) secure incedunt et edunt, nihil minus cogitant, quam laqueum, et ecce subito capiuntur. Sic nos cum bona elegimus et speravimus, fallimur, ubi mala videntur impendere, bona impendent. Et irruimus in res, unde postea non possumus emergere, plane ita ut [197]) nesciamus, quomodo circumveniamur. Omnia vero ista ideo, quia hora [198]) est nobis incognita. Itaque et ipsa experientia docet nos, res non nostris consiliis, sed fere contra nostra consilia geri, hinc enim illa vox infortunatorum: Non putaram f).

Etiam hanc vidi sapientiam sub sole, quae mihi videbatur esse magna. Est civitas parva, et pauci in ea viri, quam rex magnus oppugnabat, ac ingentes aggeres circumstruxit. Inventus est autem in ea vir pauper et sapiens, qui sua sapientia eam civitatem liberare potuit. At nemo recordabatur viri hujus pauperis. Et dixi: Sapientia certe praestat fortitudini, et tamen pauperis sapientia contemnebatur, nec ejus verbis obediebatur.

Credo hoc post epilogum exempli vice poni, quod declarat omnia fere quae ante dixit. Est autem exemplum generale, cujus in multis historiis

---

d) Pisces. e) Aves. f) Non putaram.

196) item (1532). 197) „ut" deest. 198) † ipsa (1532).

simile reperitur. Sic enim Judicum 9. g) mulier liberavit civitatem, fragmine molae occidendo regem Abimelech. Magnam vero vocat sapientiam, quia revera maxima est sapientia politica, civitatem parvam et viribus exiguam a validis hostibus eripere. Ceterum hujus sapientiae ac tantorum beneficiorum oblivisci, id quod plerumque contingit, summae ingratitudinis res est. Sic [199]) Themistocles h) multa bona fecit suis civibus, sed expertus summam ingratitudinem, sic David i) toti Israeli benefecit, sic Salomon k). Post vero tantorum beneficiorum immemores decem tribus defecerunt a domo David. Quare benefacere mundo l) est nihil aliud, quam beneficia perdere, aut aurum projicere in stercora, et margaritas ante porcos. Optimum ergo est laetari et ad praesens laborare, rejectis curis futurorum. Melius est enim mea beneficia perire, quam me quoque una [200]) cum beneficio, sicut in Eunucho Phedria ait.

Et homo non recordabatur viri etc.

Audita quidem sunt verba sapientis, dum bene consuleret, sed postea sui statim obliviscuntur.

Caput decimum.

Verba enim sapientum in quiete audiuntur plus quam clamor principis inter stultos.

Summa hujus loci est consolari et exhortari eos, qui sunt in rebus gerendis, deinde corripere

g) Judic. 9. h) Themistocles. i) David. k) Salomon. l) Benefacere mundo.

199) Sicut. 200) † perire (1532).

eos, qui obstant, et faciunt, ne consilia piorum et sapientum virorum [201]) possint succedere; quemadmodum ab exemplo de paupere coepit, qui rem magnam sapienter gessit, mox tamen ut praestitum est beneficium, traditum est oblivioni. Omnia enim praesentia, ut supra dictum est, fastidiuntur. Haec, inquam, videns, vult dicere, ne te fatiges, non poteris aliter condere mundum, neque homines; si non procedit res juxta bona tua consilia, committe Deo.

Verba enim sapientum in quiete audiuntur etc.

Sapientis verba non audiuntur, ergo stulti principis verba coguntur audire stulti. Clamor principis praevalet inter stultos, et stulti consiliarii verba audiuntur apud stultum principem, quia illi dicit quae placent. Haec, inquam, oportet te videre, sicut et in proverbiis dicitur. Stultus non audit, nisi dixeris m) ea, quae versantur in corde suo. Ratio: Quia adfectus praedominatur [202]) in corde stulti, ideo non audit, quidquid dixeris, nisi quod ille cupit dixeris. Praeoccupati enim suis adfectibus aut sua sapientia non audiunt. Nihil aliud efficies, non audieris, ubi non sunt quieta corda n), id est, non excaecata adfectibus. Sic hodie non est quod scribas adversus haereticos seu sacramentarios o), nihil enim efficis. Quod et Paulus dixit p), haereticum hominem post unam et alteram admonitionem devita etc.

---

m) Stultus non audit nisi etc. n) Quieta corda quae sint (1536). o) Sacramentarii. p) Tit. 3.

201) „virorum" deest (1532). 202) praedominantur (1532).

Neque solum sic habet in rebus pietatis, sed in politia quoque. In rebus mundi sic agitur, si sapienter consulas, nihil efficies neque audieris, nisi apud neutrales q), qui sunt sedatis animis, et non studiosi partium. Sedati enim animi et qui in quiete sunt, illi vere judicant, quod clamor principis stultus sit. Exspectandum ergo est, dum sedati sunt adfectus, tum enim audiet r), sicut perturbata aqua non est perspicua, sed si vis videre fundum, oportet aqua resideat. Sic omnes qui conceperint aliquid in animo, sunt impersuasibiles, nisi resederit illa conceptio, qua tenentur capti tanquam fascino. Hoc alibi sic dixit: Melius est occurrere urso, vel leaenae raptis catulis, quam stulto confidenti in sua stultitia.

Melior est sapientia quam arma bellica, et tamen peccator unus perdit bona multa.

Hanc sententiam probavit exemplo superiori. Et hodie omnes in bellis versati idem probant. Nihil scilicet esse arma bellica sine prudentia et consilio, et sapientiam plus efficere et valere in bello quam vires s). Sunt enim multi, varii et subiti casus, insidiae etc., quibus nisi statim occurratur praesenti consilio, actum est de multitudine et armis. Sic Romani t) glorjantur se vicisse orbem, non viribus, sed sapientia. Sapientia itaque dominatur quidem in orbe terrarum, sed tamen non auditur.

q) Neutrales. r) Similitudo. s) Sapientia plus valet in bello quam vires. 1536: Arma, bella sine prudentia, t) Romani.

Quia peccator unus perdit bona multa.

Nam et in bello et pace semper adsunt tales pestes, qui perturbent omnia. Senator aliquis bene consulit pro pace, mox nebulo alius seu Thraso pervertit omnia, cui frustra repugnatur, quia homines sunt capti suis adfectibus, quos sequuntur, non audiunt aliter consulentes, sicut Livius [203]) quoque dixit: Pejor pars fere vincit.

Muscae u) mortuae foetere faciunt unguentum optimum.

Proverbialis sententia contra stultos, verum Salomon habet durissimas transitiones, minus dura esset transitio, si addidisset, sicut dicitur proverbio v): Es ist wie man saget. Est autem proverbium sumptum ex rebus istius populi, qui unguenta inter pretiosissima habebat. Nobis vero dura apparet similitudo et frigida, ut quibus desunt res et usus illius populi. Sicut igitur muscae mortuae perdunt optimum unguentum, sic est optimum aliquod consilium in republica w), in senatu, in bello, sed ecce venit malus quispiam nebulo, et dissipat omnia, quemadmodum igitur ferre cogimur istas nocentes muscas, sic et hos pestilentes consiliarios ferre cogimur.

Ideoque parva stultitia interdum melior est, quam sapientia et gloria.

Consolatio est contra istos casus mundi et ma-

u) Musca. v) Proverbium. w) Consiliarii mali muscae (1536).

203) Homerus (1532).

lignos consiliarios. Parvam stultitiam vocat, quae est exigui temporis, sicut poetae ajunt: In loco desipere [x]) esse summam sapientiam [204]). Ideo ubi videris impium nebulonem praevalere in consilio, in senatu etc., tu cede tuo consilio, et omitte sapientiam, quia vides eam non esse gratam neque te discrucies. Melius est ut paulum desipias, et sinas illos pergere sua stultitia, quia te non audiunt, viribus non poteris perrumpere; stultus [y]) enim nullis flectitur consiliis, nisi dixeris quae versantur in corde suo. Igitur sinendi sunt, postquam consuluisti et fecisti quae potes. Nam si volueris perrumpere, irritabis crabrones istos, occurres ursae iratae, et tibi accerses pericula non necessaria. Optima sunt haec consilia nobis, qui versamur in mundo tam malo tamque ingrato, qui non audit quidquid consuluerimus, quidquid dicamus aut comminemur.

Gloria [z]) autem significat non solum famam, sed opes, pompam, ornamenta, divitias, a quibus venit fama. Sic Matth. 6. [a]): Lilia agri Deus sic vestit, ut nec Salomon in omni gloria sua, id est, omnibus divitiis et universa pompa, sic vestitus fuerit.

Cor sapientis est in dextra ejus, stulti vero in sinistra ejus.

Est et hoc proverbiale, id est: Sapiens [b]) dominatur cordi suo, si viderit illos desipere, nec

---

x) In loco desipere. 1536: † sapientia summa est. y) Stultus. z) Stultus (1536). a) Matth. 6. b) Sapiens.

204) 1536: sapienam.

audire, potest ad tempus quiescere consulendo etc. Potest uti sua sapientia pro loco et personis, secundum quod viderit dextre vel sinistre cessurum suum consilium. Stultus c) vero non est compos sui cordis, sed cogitat perrumpere secundum suos adfectus. Magna autem res est posse dominari et moderari cor suum, quod nemo fecit nec potest, nisi qui [205]) cognoverit mundum, et respexerit judicium divinum.

Etiam in via ambulans stultus, cum ipse insipiens sit, omnes tamen pro stultis habet.

Id est: Non satis habet quod ipse praevalet pravis consiliis, ut cogaris ei cedere, sed etiam ferre cogeris, quod habet gloriam de sua stultitia seu pravo consilio, et opprobrio afficiat omnium aliorum sapientiam. Si enim bene consulueris, statim insultabit, et calumniabitur optime dicta et consulta; sed tu responde: Ego consului, cogo neminem, et quod mihi bonum visum est, dixi. Primo ergo non audit stultus d), deinde perrumpit, postremo, quidquid contra dixeris (quod certe debes facere, sed tamen non frustra urgere) irridebit, calumniabitur ut stultum, ut impium. Haec nos hodie videmus et experimur, etiam apud nos ipsos.

Ideo si spiritus potentioris contra animi tui sententiam voti sui fit [206]) compos, non [207]) te commoveri sinas, cedere enim cohibebit multa mala.

Hoc nostro proverbio dicimus: Wer wohl ver-

c) Stultus. d) Stultus.

205) quod. 206) „fit“ deest. 207) ne (1532).

hören kann, der will weise werden. e) Ait ergo: Si praevaluerit eorum spiritus, id est, impetus vel consilium, ne efficiaris impatiens, locum tuum ne deseras, bleibe bei dir selbs, halt stille. Si vero resistis ac nolis contemni tuum consilium, irritabis tantum crabrones, et contra stimulum calcitras, quia magna sapientiae pars est dissimulare seu cedere f). Compescit enim maxima mala, quae sic quiescendo, id est, cedendo, sopiuntur, et tamen [208]) per se ipsa consilescunt, quae alioqui excitarent magnos motus, si pergeres te contra opponere. Sic gloriantur Romani de suo Fabio g), quod cunctando fregerit Hannibalem. Sic noster Fridericus Saxo h) Erfordianos [209]) tumultuantes silentio [210]) compescuit et ultus est. Sic quoque Vergilius: Superanda omnis fortuna ferendo est i). Sunt enim hae sententiae ex media rerum humanarum experientia depromptae.

Est magnum malum, quod vidi sub sole, nempe ignorantiam, quae inter principes frequens est. Stultus quispiam maximos obtinet honores. Divites vero in pulvere sedent. Vidi servos insidere equis, et principes servorum more iter facere pedibus.

Non, inquit, mirum est, si impetus vel consi-

---

e) Wer wohl verhören kann, wird ein weiser Mann. f) Stultitia interdum melior sapientia. 1536: Sapientiae magna pars dissimulare. g) Fabius. h) Frid. Elector. i) Superanda omnis fortuna ferendo est.

208) tandem (1532). 209) Effordianos. 210) silendo (1532).

lium stultorum adversus sapientes et recte consulentes praevaleat. Quia video inter principes raros esse, qui non ipsi sint stulti, et per sese etiam male consulunt rebus. Ita stultus regnat ubique, versatur in senatu, in aulis principum etc. Mundus est stultus k), et regitur a stultis [211]) opinionibus, quare si diversum consulueris, non audiet. Si perrumpis, irritatur magis stultus, et odio faciet, quod verget in incommodum totius patriae.

Divites, quos in pulvere sedere dicit l), intelligit eos, qui deberent praeesse, et qui possent bene regnare. Servos vero qui debebant regi, quasi dicat: Quos oportebat regi, illos video regnare, et esse positos in sublimi, servos scilicet et stultos illos. Sapientissimos [212]) vero etiam egere, et vix habere panem. Quando ergo vides tales Centauros et Thrasones regnare, qui tibi merito servire debebant, noli mirari. Cogita hoc esse regnum mundi m).

Qui fodit foveam, incidet [213]) in eam. Et qui dissipat sepem, hunc mordebit coluber. Qui transfert lapides, adfligetur ab iis. Qui findit ligna, ab illis laedetur.

Inserit hic quasi congeriem quandam proverbiorum Salomon, quae omnia adplicat ad usum rerum gerendarum, quasi dicat: In rebus humanis sic contingit, ut habent ista proverbia, quidquid egeris in rebus, evenit tibi quod dicitur: qui fodit

---

k) Mundus est stultus. l) Divites in pulvere sedentes. m) Regnum mundi.

211) † et stultis (1532). 212) Sapientissimus. 213) incidit.

foveam etc. id est: Ohn Schaden kompt man nicht davon. Item regere homines n) idem est quod perrumpere sepem, ubi hoc saepe contigit, ut a colubro mordearis, quare etiam si mala tibi contingant, ne ideo sis cessator; sed cogita non aliter fieri in rebus humanis. Quia regere homines solius est Dei. Ergo qui praeficitur [214]) rebus gerendis, sciat se eas res gerere, quae nullo humano consilio possunt regi; nam corda hominum non sunt in potestate nostra, soli isti, qui timorem Dei habent, facile reguntur.

Est autem proverbium sumptum a fodientibus sepulcra, quibus hoc evenire solet, ut saepe imprudentes in ea incidant. Sic gerere res humanas est fodere foveam o), ibi sis praemunitus, ac sciās te non fore sine periculo. Quod nisi facis, incides in multo graviora et improvisa pericula. Pericula enim praevisa minus feriunt. Prudenter hoc monuit Demipho p) apud Terentium in Phor. Quamobrem, inquiens, omnes cum secundae res sunt maxime meditari secum oportet, quo pacto adversam aerumnam ferant, pericula, damna, exilia, peregre rediens semper cogitet aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae, communia esse haec, fieri posse, ut ne quid animo sit novum. Quidquid praeter spem eveniat, omne id deputare in lucro, ut si quid tale accidat possis dicere: Hoc exspectabam, cogitesque nihil alienum a rebus hu-

---

n) Regere homines. 1536: Rempublicam administrare est fodere foveam. o) Fodere foveam. p) Terentianus Demipho.

214) perficitur.

manis tibi accidere, imo si quid boni evenerit, habebis pro lucro quotidiano. Non ideo statim est desistendum a fodiendo, etiamsi quis imprudens cadat. Vita enim humana q) est periculis plena. Et sicut in dissipando sepe periculum est ne mordeat latens serpens, ita cavendum est in administratione rerum, ne laedamur, si vero morderis ac laederis, ferendum est. Nihil enim novi tibi contingit.

Transferens lapides.

Qui versat lapides, facile laedit manum aut pedes. Intelligit enim saxa grandiora, quae non transferuntur sine magna saepe laesione. Sic gerere res humanas est saxum volvere r). Cum igitur laederis, dic: Si non versarem saxa, non essem laesus, quia vero transfero et volvo, nihil mirum si laedor. Si paterfamilias es, cogites tibi quoque esse volvendum saxum. Simile est quod sequitur.

Qui findit ligna, [215]) ab iis laedetur.

Id est: Res gerendae non abeunt sine periculo et laesione. Optimum ergo est praemunire cor, et exspectare casus quoscunque, ut si quid bene successerit in republica, sit quasi miraculum. Quo sunt insperatiora bona, eo magis laetificant, sicut quo magis sunt provisa mala, eo minus laedunt. Semper ergo cogitemus in periculo nobis versandum esse, non in bonis.

---

q) Vita humana. r) Saxum volvere.

215) † in 1532.

Si rubigine corruptum sit ferrum et ea sic praevaluerit, ut non possit exacui, ibi reliquum est, ut sit sapiens artifex.

Iterum consolatur eos, qui sunt in administratione rerum. Sicut ferrum, quando praevaluerit rubigo, difficile politur, et redditur ei acies: sic mundus est ferrum rubigine consumptum s), et dentata quaedam bipennis, ac laxatis manubriis, quam nemo bene administrare potest. Pulchra omnino similitudo. Et ut ingens labor et miseria est dentata ac rubiginosa bipenni secare, sic etiam miserum et calamitosum est regnum mundi, res publicas vel etiam domesticas administrare. Est enim simpliciter instrumentum perditum et inutile ad usum, et tamen debemus in tali et per tale agere. Sic homines cum sint mali et pravis adfectibus pleni, magna opus est sapientia eos regere ac moderari.

Dicit ergo: Si rubiginaverit vel retusum fuerit, et viribus praevaluerit, scilicet rubigo, ibi reliquum sapiens artifex, id est: Es muß ein guter Meister sein, der ein alt verrostet Beil wohl auswetzen will. Ita necesse est esse sapientem virum t), qui bene utatur rebus tam malis, id est, mundo et hominibus tam malignis et perversis. Homines sunt natura contemptores, deus autem interposuit suam autoritatem, ut sic saltem obedirent. Dicit enim volo ut huic obedias, quod si non obedieris, me quoque contempseris. Sed nec sic tamen quoque obediunt.

Non est igitur res publica vel domestica aliud,

---

s) **Mundus est ferrum rubigine consumptum.** t) **Vir sapiens.**

quam ejusmodi rubiginosum ferrum. Utere igitur ea securi, quam habes, quando alia non potes uti, juxta proverbium: Wer nicht Kalk hat, der muß mit Dreck oder Leim mauren. Si es paterfamilias, sive in magistratu[u]), cogita te habere ferrum rubiginosum (id est, tales, qui non volunt nec possunt regi), eo utere, et seca quod potes, ut saltem aliquam partem et formam reipublicae retineas aut restituas. Non enim tam bene agetur in rebus humanis, ut non plurimum malorum relinquatur. Ergo artifex sic oportet, qui ferrum vetusta rubigine consumptum sic exacuat, ut eo utcunque uti possit. Haec sunt, quae consolari nos debent in rebus humanis.

Si momorderit serpens, non incantatus, nihilo melior est vir futilis linguae.

Pertinet hoc quoque ad rempublicam. Sicut inquit, mordet serpens incantatus, id est, non cognitus seu improvisus (incantatus enim serpens non mordet, quia obedit voci incantantis), sic etiam mordet vir linguae[v]), neque est vir linguae[216]) melior serpente mordente, id est, qui non est compos suae linguae, maledicit suo rectori, vel ei, qui ei praeest[w]). Sic enim fit in rebus politicis, vel etiam domesticis. Si es paterfamilias, multa facies, quae displicebunt uxori, familiae etc. Inter quos invenies, qui, quod boni facis, depravant et calumniantur, quod mali, traducunt et efferunt inter cives et vicinos. Et hoc quoque ferre cogeris. Resistes

---

u) Oeconomia. Politia. v) Vir linguae. w) Psalm. 58.
216) „neque est vir linguae" deest.

quidem pro viribus, quod vero non potes prohibere, ferendum est. Taediosum quidem est et grave, sic turpiter malevolorum ore traduci, etiam te nesciente, sed quid efficies? Istas calumnias et detractores cohibere non poteris. Tantum claude oculos et aures, et fac quod potes. Sicut nos cogimur ferre, quod operibus et verbis resistitur nobis; mundus enim non desistit persequi magistratus et recta monentes.

Verba ex ore sapientis sunt gratia, sed labia stultorum devorabunt eum.

Id est: sapiens x) disponit sua recte et gratiose, sed quia situs est in medio linguarum malarum, non succedit illi; venit enim calumniator y) et devorat illum, obruit bonum virum suis verbis. Sic ergo vocem Eum, refero ad sapientem, non ad stultum. Gratiosum enim verbum sapientis fit irritum per labium stultorum. Si vir quispiam bonus et sapiens optime consulat, tamen veniet calumniator et nebulo, et evertit hoc. Sic Paulo in actis z) contigit, cum naufragium paterentur. Viri fratres, inquit, oportebat audito me non solvere a Creta etc. Summa summarum: Stultus devorat sapientem, et pejor[217]) pars semper vincit.

Initium verborum ejus est stultitia, et novissimum verborum ejus insania.

Id est: Stultis, qui volunt esse sapientes, et qui alios omnes prae se stultos reputant, sic[218])

x) Sapiens. y) Calumniator. z) Actor. 27.
217) prior. 218) sive.

accidit, sive[219]) incipiant, sive concludant, adeoque totus sermo eorum est mera stultitia, et quo plus vult sapere, eo magis desipit stultus, et tamen praevalet sapienti, et devorat optima consilia, sicut Christo a) optime docenti praevalebant Pharisaei b), apostolis Judaei et Pseudoapostoli. Bonos doctores devoraverunt Arriani c), et nos hodie praedicamus Christum, sed veniunt persecutores Haeretici et devorant nos; sed exspectemus majora adhuc, lucrum interim reputantes, quod adhuc aliqua bona retinemus, quod aliqui adhuc rectam doctrinam tenent.

Stultus multiplicat verba.

Sapiens paucis et breviter docet et dicit, quae sentit. Est enim veritatis simplex oratio d). Stulti vero abundant verbis, nec possunt compesci, aut revinci verbis, ut taceant, pro uno respondent mille. Sic Christus paucis semper verbis respondit legis peritis ac Pharisaeis, cum suam doctrinam non a Deo, sed Satana esse calumniarentur.

Homo ignorat quod est coram eo, et hoc quod futurum est quis annunciabit ei?

Id est: Homo non videt quae adsunt, quae sunt in conspectu, nunquam est praesentibus contentus, semper spectat aliena et futura, et relinquit quod ei a Deo est datum et praescriptum. Iam datum est Evangelium, sed ecce ad alia rapimur. Sed ista ante copiosius sunt dicta.

---

a) Christus. b) Pharisaei. c) Arriani. d) Veritatis simplex oratio.

219) sic.

Labor stultorum adfligit eos, quia[220]) nesciunt ingredi civitatem.

Id est: Etiamsi praevaluerint et multiplicaverint verba stulti, nihil efficiunt, neque aliud consequuntur, quam quod multiplicant labores, et aerumnas augent. Noctu et die aestuant, et cogitant, ut sua statuant; sed hic labor nihil iis adfert, nisi quod sese magis discruciant. Suntque istae duae[221]) antitheses observandae[222]). Stultus cum videt non succedere suum studium, est inquieto animo; non enim potest aut novit successum committere Deo. Sapiens vero utroque tempore eodem est animo, quia novit res geri non nostris consiliis aut studiis, sed voluntate Dei; huic etiam suorum consiliorum successum ac proventum committit.

Quia nesciunt ingredi civitatem.

Hebraica phrasis, ut in psalmis: Et viam civitatis non invenerunt e), id est, oberrant vagi, et nesciunt viam, ut veniant, ubi sit requiescendum. Quia omnes viae sunt dispositae ad aliquem locum, ubi homines habitant, ipsi vero errant tota via, in nullo consistunt, cum sapientes maneant in via, et locum suum tueantur; etiamsi incidant varia pericula et impedimenta, quia ante praeviderunt sic futurum esse. Unus quisque ergo faciat et agat laeto corde. Laeto vero[223]) corde vero aget, si

e) Viam civitatis non invenire (1536.)

220) qui. 221) quae. 222) † Stultus habet miseriam in labore, sapiens laetitiam. 1532. 223) „vero“ deest (1532).

sciat se esse in mundo, in periculis etc. Sic vincitur malum antequam veniat.

Vae terrae, cujus rex puer est, cujus principes mane comedunt.

Audivimus hactenus res humanas sic habere, ut stulti potissimum praevaleant et imperent, quanquam magno suo malo, ut ubi oppresserint verba sapientum, ipsi dent suae stultitiae poenas. Rebus ergo sic habentibus periculosissimum est esse puerum principem, quando inter tot stultos, quorum plena sunt omnia, etiam rex non sapit. Hoc est hodie regnum Germaniae [f] et Hispaniae [g], ubi principes, qui habentur sapientissimi, omnia in suum commodum regunt et agunt, ac sua quaerunt. Reliqui nihil noverunt, quam equitare caballo, scortari, compotare etc., omnia committentes consiliariis, sua quaerentibus, nihil consulentibus reipublicae. Estque tota Germania quasi vasta [h], in qua nihil est civilium morum, nulla cura educandae juventutis, collapsae leges, disciplina et bonae artes, nulla fori ratio.

Magnum donum est bonus princeps [i], qui cogitet et intelligat, quid prosit terrae suae, qui prospiciat, quid conveniat singulis, ut omnia fiant et administrentur secundum leges, et [224]) sint sua omnium personarum jura. Neque tamen huic omnia succedent, imo multa in contrarium evenient, sed non ideo desistat ab instituto, sed pergat agere

f) Germania. g) Hispania. h) Germaniae miseria (1536.) i) Bonus princeps.

224) ut.

quod potest, omnino juxta formam supra dictam. Sic enim Salomo optimus et prudentissimus princeps seu rex fuit, ut etiam proverbia k) scripserit pro instituenda juventute, non tamen nisi molestiam et laborem multum reportavit. Si ergo etiam optimis principibus non succedit, quid futurum est, ubi rex puer est et nihil principe dignum agit?

Cujus principes mane comedunt.

Id est, qui non distribuunt opera et operas, qui nihil curant, ut res in regno administrentur, tantum ut ipsi bene habeant. Imo si qui sunt, qui recte cupiant consulere rebus, et principibus a talibus opprimuntur. Mane l) ergo significat idem quod primo loco et prae omnibus. Est enim mane prima hora laborandi et agendi. Isti autem mane comedunt, id est, primo sibi consulunt, suum lucrum quaerunt et ventrem, res regni ad vesperam rejiciunt et postremo loco tractant.

Bene tibi terra, cujus rex est filius sapientum, et cujus principes comedunt tempore suo, pro valetudine [225]) etc.

Hebraismi sunt: filius mortis, filius vitae, filius anni. Ita hic, filius חוֹרִים m), id est, nobilium, qui habet חוֹרִים, id est proceres (nam Hebraicum filius nos vero per verbum: habet reddimus, sicut de Pharaone dicitur in Ezechiele: Filius sapientum sum ego, id est, habeo multos sapientes). Significat

---

k) Proverbia Salomonis. l) Mane. m) Filius Horim.

225) 1532 † et non pro luxu.

autem חוֹרִים candidos. Mos enim fuit orientalis populi, veste candida n) uti, sicut romani purpura et trabea. A veste igitur quam gerunt Principes vocantur candidi, sicut Romanorum aliqui torquati.

Et cujus principes comedunt tempore suo.

Id est: Qui non praeferunt suum ventrem negotiis et curis regni, non quaerunt sua; sed ubi illi inveniuntur? Avaritia regnat in aula, ipsi proceres nihil sunt nisi avaritia o). Sic vides in nostris principibus, ubi principatus exhauriuntur, et proceres ac nobiles ditantur. Propter pestilentes proceres nihil possumus efficere, ut pauperibus provideatur, scholae constituantur, et virgines pauperculae dotentur, et id genus pietatis opera fiant, cum tamen ipsi interim nihil non extorqueant a principibus. Vere ergo beata terra, cujus principes pro valetudine comedunt, et non pro luxu, id est, qui sic fruuntur principis largitione, ut victum habeant, ut se et familiam suam sustentent, non ut colligant infinitos thesauros.

Per desidiam deficiunt trabes, et per manus otiosas stillabit domus.

Adjicit sententiam proverbialem, quasi dicat: in tali regno, ubi principes seu proceres sua quaerunt, et rex est stultus, perinde accidit ut negligenti patrifamilias p), qui cum possit uno momento 226)

n) Candida vestis Judaeorum, Romanorum purpura.
o) Avaritia regnat in aula. 1536: Aulicorum avaritia.
p) Paterfamilias.

226) nummo (1532).

curare, ne corrumpantur tigna [227]) aedium, non facit, donec tota domus ruinam trahat. Ubi ergo non est paterfamilias sedulus, qui quotidie instaurat, si quid collapsum est, ibi semper solet damnum aliud aliud sequi; sedulus vero mox restaurat, si quid corruptum est, et non solum conservat quae habet, sed etiam reficit et reparat fracta, et addit aliquid rebus et ornatui. Quod autem de domo dicit, de tota re familiari vult intelligi. Sicut structura corruit neglecta, sic tota res familiaris corruit neglecta. Diligens paterfamilias semper est in augendo q), ignavus semper est in perdendo. Ita multi episcopatus et principatus corruerunt, quia nemo restauravit, nemo adhibuit manum. Qui contemnit modica, paulatim omnia perdit. Paterfamilias debet esse et parcus et largus, nec debet minima negligere, ut possit [228]) dare, ubi est dandum, quia ex minimis congregantur maxima.

Noster princeps Fridericus r) laudatissimus paterfamilias sic administrabat rem familiarem, ut videretur esse sordidus, numerabat enim singulis in manum, cocis, cellariis etc. Sed hospitibus, quibus erat dandum, largissime effundebat omnia, quod non potuisset, nisi illud parsimonia curasset. Atque ita effecit, ut haberet ornatissimam domum et familiam. Sic ergo et princeps ubi negligit unum et alterum usurarium aut alios publicos malefactores, tandem eo perveniet, ut nullos omnino puniat, et respublica tota ruat. Sic et Romani belli

---

q) **Patrisfamilias officium (1536).** r) **Fridericus Elector.**

227) ligna. 228) † largiter (1532).

duces volebant nullum omnino hostem, etiam minimum, contemni. Summa summarum, ubi est stultus rex, ibi est stulta administratio, et tale regnum, quod necesse sit ruere. Quia talis est politia, qualis est oeconomia, et perstillare domum est idem, quod perire domum.

Ridendo parant panem, et vinum laetificat viventes.

Id est: Isti pestilentes, helluones, gurguliones, nullo honesto funguntur officio, sed solum ludicris rebus et operibus merentur suum stipendium, adulando, palpando, perpotando parant divitias. Tales vero sunt maxima pars in principum aulis, imo inter quadringentos vix sunt quatuor aut quinque, qui serio et honesto officio merentur suum stipendium, per quos reipublicae consulatur.

Et vinum laetificat viventes.

Quasi dicat: nihil curant, nisi ut bene victitent, nihil prosunt principibus, nisi quod exhauriunt cellas, et sumptibus non necessariis gravant.

Et argento respondent omnia.

Hoc nos Germanice proprie sic: Es ist alles umbs Geld zu thun. Spectant ubique argentum, sive fiat reipublicae et regni commodo sive incommodo.

Caput undecimum.

Ne maledicas regi in corde tuo, neque diviti in cubiculo tuo; volucres enim coeli eam vocem efferunt, et qui habent alas, hoc produnt.

Praecedens caput fuit invectiva quaedam in stultos, ac descriptio regni mundi, quale sit, ut quicunque versatur in rebus, agnoscat se infelicissimam administrationem gerere. Nosse autem hoc regnum, inquam, mundi esse iniquissimum, neque posse corrigi, summa sapientia est. Hoc vero capitulum exhortatur ad bona opera. Cum enim docetur [229]), quam iniquum sit regnum mundi, incipiunt hominum corda affici taedio, et cogitant a rebus agendis cessare, ac relinquere mundum, victi malitia hominum, ut et supra dictum est. Sed Salomon docet, quo malignior ac iniquior sit [230]) mundus, eo magis instandum et laborandum esse, ut saltem aliquid fiat.

Et primo incipit a magistratu honorando. Qui magistratus est ordinatio divina, et potior pars mundi seu sub sole. Et per istam ordinationem Deus gerit omnia, quae fiunt sub sole. Impii autem potissimum incipiunt a contemptu magistratuum [s]), cum audiant in scripturis Deum illos corripere, sed divini muneris est increpare, et arguere magistratus. Hoc etsi tu audieris, non tamen debes imitari. Neque enim es Deus aut ordinator divinae

---

s) Magistratus (1536).

229) docet (1536). 230) est (1532).

ordinationis aut instaurator. Sed quemadmodum illos, ita et te arguit Deus in scripturis, ut et tu officium tuum agas t). Verum tu oblitus trabis in oculo tuo incipis videre festucam in oculo alieno, et corripere superiores, a quibus tu potius arguendus es. Et si tu ipsorum munus sustineres, longe plura peccares, et ne illa quidem praestares, quae illi praestant. Audiamus ergo quomodo Deus increpet magistratus, non autem imitemur hic Deum.

Est ergo sententia: Dixi multa de principibus, quomodo perdant mundum,

Tu autem apud te sive in corde tuo non maledices regi, neque in camera cubiculi tui diviti.

Id est: qui sunt in potestate constituti, reverendi sunt, quia non est humana ordinatio, sed divina. Tametsi Petrus u) humanam creaturam appellat magistratus, quia ex hominibus assumitur, tamen potestas eorum divina est, et etiamsi mali sunt, tamen honorandi sunt propter ordinationem Dei. Quare ergo velis maledicere illis, qui tot et tantis curis et laboribus vexantur, pro tua pace, si boni sunt, si vero mali et insipientes, sat ipsis malorum sua impietas est et adfert; compatere ergo potius. Sed hoc non fit, imo contrarium facit mundus: bonis reddit ingratitudinem, alios maledicit, stultos laudat, imo boni e terris eripiuntur.

Summa: Neque nos, neque alios ferre possumus, imo neque fortunam, neque infortunium. Si tentat nos Deus modicis adflictionibus, sive morbis,

---

t) Matth. 7. u) 1. Petr. 2.

sive egestate etc., efficimur impatientes, accusamus Deum etc. Si vero dimittit nos nostris desideriis, nec sic ferre possumus. Magna est patientia divina v), quae nos potest ferre in tanta ingratitudine. Desinamus igitur et nos maledicere magistratibus, et exhibere honorem, sive boni sint, sive mali. Gratias age Deo, si boni, dole ac tolera, si mali sint. Qui vero sunt in officio verbi, illi corripiant, non vulgus. w)

Quia avis coeli defert vocem, et vir alarum annunciat verbum.

Avem Hebraei dicunt virum alarum x) vel maritum pennarum, sive eum, qui habet pennas. Vult autem dicere: Si maledixeris regi, non latebit, sed innotescet, ac [231]) punieris. Quia ira regis mors est, gratia ejus imber serenus.

Mitte panem tuum super faciem aquarum, et invenies eum in longitudine dierum.

Iterum Hebraismus, ut scatet Salomon suis figuris. Vult dicere: Sis [232]) largus in quemque, dum potes, utere tuis divitiis ubicunque poteris benefaciendo. Additque promissionem y): Quia si vixeris diu, centuplum accipies. Sic in proverbiis z): Qui miseretur pauperi, foeneratur domino. Sic item Christus: Date et dabitur vobis. Et Paulus: Hilarem datorem diligit Deus. Qui vult fieri

---

v) Patientia divina. w) Magistratus non vulgus, sed ecclesiastes reprehendat (1536). x) Vir alarum. y) Largitatis promissiones (1536). z) Proverb. 11.

231) † sic. 232) Si.

egens, nihil det aliis. Ait itaque: Mitte panem tuum, id est, tribue de victu tuo [233]), quem tibi Dominus dedit.

Super faciem aquarum.

Id est, simpliciter et large da, etiamsi videatur tibi perire eleemosyna, ac panis in aquam cadere. Utitur enim metaphora Salomon, qua solum hoc vult: Pasce mortales tu ipse mortalis.

Quia invenies eum in longitudine dierum.

Id est: Si diu vixeris, invenies illum panem, quem projecisti super aquam, quasi dicat: Non peribit quod largitus fueris aliis, etiamsi videatur perire, imo Dominus ad longum tempus dabit panem, Psal. 36 a): Tota die miseretur et commodat. Item: In tempore famis saturabantur, quia Deus non patitur se vinci largiendo, sed infinitis modis superat nostram largitatem.

Da partem inter septem et octo, quia ignoras quid mali futurum sit super terram.

Hic rursus exhortatur, et exhortationi addit comminationem. Divide, inquit, panem tuum sive inter septem sive inter octo, id est, da largiter. Qui enim seminat in benedictionibus (ait Paulus b), de benedictionibus et metet, qui parce seminat, parce et metet, laß dich nicht zu viel dunken, das du gibest, etiamsi omnia dederis, non tamen egebis, tantum

a) Psal. 36. b) 2. Corinth. 9.
233) „tuo" deest.

de tuo des, ac adsint quae des, ut Christus in evangelio inquit.

Quia ignoras quid mali etc.

Id est, potest fieri, ut cras moriaris et relinquas hominibus indignissimis, aut alia calamitas subito ingruat, ut doleas quod non erogaris aut dederis, et tunc cum velis non possis. Da ergo dum habes vel potes, incertus es quid vespera advenat. Nam cum principes congregant thesauros, nihil faciunt nisi causam bellorum, et divites multa congregant, litium et dissensionum materiam.

Si repletae fuerint nubes, imbrem in terram effundunt.

Merae exhortationes et comminationes sunt, si nubes, id est, pauperes impleti fuerint, evacuant imbrem super terram. Hoc potest dupliciter intelligi: Primo sic, imitare nubes, quae effundunt pluviam, quando fuerint plenae, ita et tu fac, effunde super pauperes. Secundo, ut sit promissio, quod mihi magis placet, sic scilicet: Si habes substantiam, da illis qui sunt instar nubis vagae, et nihil habent, illas, inquam, nubes reple, et te videbis etiam impleri. Sequitur comminatio:

Arbor si ceciderit vel ad [234]) austrum, vel ad aquilonem, in quemcunque locum ceciderit, ibi manebit.

Id est: Nescis quam diu victurus sis et possessurus res, sicut arbor cum succiditur, sive cadat

---

234) „ad" deest (1536).

ad meridiem sive aquilonem, ibi manebit, Sic utut mors te oppresserit, quocunque loco, conditione, ita manebis. Si invenerit te Dominus in meridie, id est, fertilem, et in bonis operibus divitem, bene, si vero in aquilone, id est, non abundantem bonis operibus, male tibi, utut invenieris, sic judicaberis, sic recipies etiam.

Qui observat ventos, non facit sementem, et qui considerat nubes, nunquam metet.

Pertinet et hoc ad exhortationem. Nos hanc sententiam Germanice sic dicimus: Wer sich fur den Buschen furcht, der kompt nimmer in den Wald. Apparet illi qui dat, quod domi nihil sit retenturus, sed omnia perditurus. Haec est causa, quod gravatim largimur. Ait ergo, si vis timere penuriam, ingratitudinem, nunquam benefacies; qui spectat non verbum promittentis, sed ipsam substantiam datam, non credit se deinceps alendum aut sat habiturum. Quare specta verbum Dei, et promissa, non in solo pane vivit homo. Si hujus, inquam, verbum audieris, benedicet tibi in agro, domi etc.

Non facit ergo sementem, qui ventos considerat, nec metit qui pluviam observat. In messe enim non est pluvia bona, exspectatur autem aura serena, nec antea metitur, quam ista venerit. Ego libenter (aiunt) darem, si viderem mihi nihil defuturum. Ex eo tantum vis dare, quo tu non indiges, sed scias pauperem debere tecum edere, ut potius tibi aliquid demas, ne ille egeat. Verum qui non credit Domino, nihil boni facit. Qui omittit verbum, omittit etiam opus.

Sicut ignoras quae sit via spiritus, et quomodo compingantur ossa in utero matris, ita investigare non poteris opera Dei, quae ubicunque operatur.

Copiosus est Salomon in exhortando, ut excitet nostram socordiam et ignaviam. Sicut, inquit, non scis quae sit via venti, et quomodo compingantur ossa etc., sic non scis opus Dei, quod operatur [235]) ubique vel in omnibus, nescis quid Deus statuere velit in te vel alio, an cras morieris, vel vives aut infirmeris aut quid mali sit eventurum. Si Deus nobis prolongasset aut distulisset vitam nobis scientibus, essemus omnibus modis pessimi. Jam ne horam quidem praescimus de vita nostra, neque tamen vel sic desistimus mala agere. Hanc similitudinem usurpat Christus Johannes 3. c): Audis vocem venti, et tamen non vides, unde veniat, aut quo revertatur. Sic et tu ignoras quo sis iturus, aut quo vadas, sicut ergo praesentem ventum sentis, sic et tu praesentibus utere.

Et quomodo compingantur ossa [236]) etc.

Sic, inquit, fiunt animalia et homines in utero matris, te ignorante, Psal. 139 d): Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto. Et totus Psalmus: Domine, probasti etc. Et si uterus esset apertus, non tamen videremus, quomodo ista fierent, quia arbores crescunt videntibus nobis omnibus, nec tamen videmus, quomoda folia, rami,

---

c) Johan. 3. d) Psal. 139.

235) facit (1532). 236) „ossa“ deest.

fructus crescant, neque eorum rationem assignare possumus, sic et nos crescimus videntibus aliis. Cum ergo ista praesentia et quae ob oculos sunt, non intelligamus, quomodo futura sciemus? Summa ergo est: Opera Dei non sunt nobis nota, ac futura sunt incerta.

Mane (ergo) sparge semen tuum, et vespere ne cesset manus tua, quia nescis, num hoc aut illud proventurum sit. Quod si utrumque proveniet, tanto fuerit melius.

Non solum de agricultura hoc dicit, sed generaliter de omnibus operibus humanis, maxime vero de bene operando, sicut Paulus ait [e]): Operemur bonum, dum tempus habemus. Mane, id est, tempestive, seu semper operare. Ratio:

Quia nescis, quid magis oriatur etc.

Tu semina et fac quod debes, sed committe opera tua ac proventum eorum Deo. Benefac omnibus, non observa ventos, neque sis sollicitus quid sit proventurum. Sic facienda sunt opera, et non est spectanda gratitudo. Dankt die Welt nicht, so danket Gott, kompts beides, so ists so viel besser. Sin autem venerint pericula, paratus accipias.

Videmus itaque Salomonem in toto isto libro docere usum praesentium, ac praemunire nos adversus futura, et pericula et calamitates, ut illa, ubi venerint, pro consuetis accipiamus. Quae sequuntur sunt applausus vel potius comprecationes, quod nos Germanice sic solemus addere nostris concio-

---

e) Galat. 6.

nibus sive exhortationibus: Wollt Gott, daß es so gienge.

Dulcis est lux, et jucundum est oculis videre solem.

Allegoria est. Vult dicere: Jucunda res esset, si quis ederet exemplum hujus doctrinae, si principes populi ac ipse populus sequerentur doctrinam, quam hoc libello docui et doceo.

Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus laetus fuerit, recordabitur dierum tenebrarum, quod tam multa fuerunt, quia omnia ista, quae evenerunt ei, sunt vana.

Haec est mera comprecatio, ut dixi, quasi dicat: Das Alter wollt ich gerne sehen, das dieß Buch gehalten hätt, das wäre ein fein Mann. Quam dulcis est sol, et jucunda lux, tam jucundum est videre hominem exercitatum, qui multis annis ista sit expertus in laetitia cordis, contemnens mundum in periculis, is videret quidem multas tenebras, id est, multa [237]) mala mundi, sed hoc ipsum delectaret, quod posset illa contemnere, ut qui scierit, ac multo ante providit [238]), ita habere mundum.

Caput duodecimum.

Laetare igitur juvenis in adolescentia tua, et bene habeat cor tuum in juventute tua.

Postquam definivit raram quandam avem, eum

237) „multa“ deest (1532). 238) providerit (1532).

virum scilicet, qui toto tempore vitae laeto animo vixerit, et ingruentia mala seu malitiam mundi irriserit, nunc subjungit exhortationem. Ergo, inquit, tu juvenis, qui es rerum imperitus, si vis vivere laetus, audi quod ego tibi scribo et te doceo, ne nimium diffluas. Sic vive, ut sis contemptor mundi, et vincas illius malitiam; et hic vides, quid ipse vocet contemnere mundum f), non fugere nos aut homines, sed versari in mundo, in mediis periculis, sed sic, ut servemus cor quietum ac pacatum, in quibuscunque etiam adversitatibus. Ait ergo: Si ad hanc metam velis pervenire, ut habeas quietum cor in mediis malis, adsuesce malis, idque a pueritia; sic enim exspectabis securus quaelibet pericula.

Et bene habeat cor tuum.

Id est: Jucunde frueris [239]) jucundis, cum adfuerint, asperis non frangaris, cum venerint. Sic erat instituenda ac erudienda juventus, et nisi sequatur adolescentia ejusmodi monitorem, nihil unquam viro dignum agent. Fervet enim juventus adfectibus et est imperita, quae imperitia obstat, ne possit postea ferre vel cedere malitiae mundi et ingratitudini. Est ergo Salomon optimus adolescentiae magister g), non prohibet jucunditates sive voluptates h), quemadmodum stulti magistri monachi fecerunt. Quia hoc nihil aliud est, quam ex

---

f) **Mundum contemnere quid? (1536). g) Adolescentiae magister Salomon (1536). h) Non prohibetur juvenibus gaudium etc.**

239) fruaris.

juvenibus facere truncos, et (ut etiam dixit Anselmus monachissimus monachus) quam velle arborem in angustam ollam plantare. Sic illi suos tanquam in caveam incluserunt, et prohibuerunt hominum aspectum et colloquium, ut nihil discerent aut experirentur, cum nihil periculosius sit juventuti solitudine i).

Animus recte instituendus est bono sensu et opinionibus, ne corrumpantur convictu et consuetudine malorum, corpore autem versandum est in ipsis rebus. Videndus est mundus et audiendus, tantum adsit bonus magister. Omnino ergo cavenda est a juvenibus tristitia et solitudo. Adolescentiae tam necessarium est gaudium, quam necessarius est victus et potus. Corpus enim vegetatur animo laeto. Et educatio non est incipienda a corpore, sed ab animo, ne ille negligatur. Cum animi fuerint recte imbuti, facile reguntur corpora. Indulgendum est igitur juventuti, ut laetentur, et ut laeto animo faciant omnia, tantum hoc observandum, ne voluptatibus carnis corrumpantur. Istae [240]) enim compotationes, crapulae, amationes, non sunt laetitia cordis, de qua hic dicit, sed contristant animum potius.

Et ambula in viis cordis tui, et in specie oculorum tuorum. Et scito quod propter omnia haec adducet te Deus in judicium.

Fecit hic locus, ut totum hunc textum ab initio capitis ironiam esse putarem, quia ferme in

---

i) Solitudo periculosa iuventuti.

240) Iste.

malam partem sonat, si quis incedat in via cordis sui; sed manendum est in argumento et consequentia textus. Vult ergo dicere: Cum cor recte est institutum, nullum gaudium aut laetitia nocebit, modo verum sit gaudium, et non corrumpens seu etiam adfligens laetitia, de quo jam ante diximus.

Et ambula in specie oculorum tuorum.

Id est, quod offertur oculis tuis, hoc fruere, noli distendi in futura, ne fias similis monachorum, quorum quidam, ut Sylvanus monachus k), docuerunt ne solem quidem inspicere. Volebant juventutem privare visu, auditu, sermone, et omni sensu, et quasi aves caveae includere, homines plane impii et vere misanthropi. Tu vero, si quid est jucundum visu, auditu etc. fruere, modo ne pecces contra Deum. Noli tibi in istis praestituere leges, sed fruere omnibus, tantum cum timore Dei. Vide ne perversas mundi voluptates sequaris, quae corrumpant cor tuum l). Hactenus una pars.

Aufer iram de corde tuo, et aufer malitiam a carne tua, quia pueritia et adolescentia vanitas.

Quasi dicat: Sicut ego per timorem Dei volo te cohibitum, ne sequaris turpes et nocentes voluptates, sic volo te servare, ne tristitiis vexeris, et adversis frangaris. Tolle [241]) iram de animo, id est, assuesce non irasci, et indignatione vinci,

---

k) Sylvanus Monachus. l) In mundo versandum, sed non secundum mundum vivendum (1536).

241) † ergo (1532).

ubi videris omnia pessime geri. Si quid contingit triste, scias pertinere ad mundum, sine alios invidere m), odisse, tu noli, quia illa perdunt jucundam vitam, juxta proverbium: Putredo ossium invidia n); invidia enim corradens et tabefaciens morbus est. Serva mihi cor tuum integrum, neque corrumpas nimiis voluptatibus mundi neque tristitiis.

Sic etiam amove malum a carne tua.

Id est: Quidquid carnem tuam adfligere potest, hoc tolle, non quod vetat castigare carnem, sed frustra est tua adflictio, cum te talibus rebus excrucias et ringeris. Noli ergo sic rugare frontem, sed sis sereno vultu, tantum hoc specta, ut timeas Deum. Serenus enim vultus indicat cor laetum. Et sicut volo te animo esse laetum, sic volo etiam ut corpus tuum sit serenum.

Pueritia enim et adolescentia etc.

Id est: Memento te esse adolescentem, et prorsus in vita vanitatis esse[242]) positum. Adolescentia enim per se est vana, et variis passionibus rapitur. Tu ergo sape et non adjicias oleum igni, quod dicitur. Neque ames neque tristeris, laeteris vero et fruaris rebus. Atque hoc assuesce in juventute, ut scias in senectute. Qui enim quiete in adolescentia et jucunde vixerint, venient ad jucundam quoque senectutem.

---

m) Invidia (1536). n) Putredo ossium invidia.
242) „esse" deest (1532).

Memento creatoris tui in juventute tua, antequam veniant dies mali, et appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent.

Haec omnia, inquit, ideo dico, quia volo te liberum esse ab omnibus adfectibus juvenilibus[243]), ut Deum reverearis, et utaris iis, quae tibi ab eo data sunt. Antequam veniant dies mali, id est, antequam senescas. Senectus o) enim per sese morbus est, etiamsi nihil praeterea morborum accedat. Amittunt enim senes vigorem animi et corporis. Describit autem longis verbis et figuris senectutem: senectutem non habere nisi dies malos, neque utilem esse rebus gerendis.

Antequam tenebrescant sol, lumen, luna atque stellae, et revertantur nubes post imbrem.

Lux p) felicitatem, tenebrae q) adflictionem et infortunium significat, ut: Exortum est in tenebris lumen rectis. Vult ergo dicere: Antequam veniat infelicitas senectutis, cum neque sol placet, neque lux jucunda est, ibi revertuntur nubes post imbrem, id est, est perpetua quaedam tristitia et tribulatio. In ceteris aetatibus, in adolescentia, in juventute etc. est quaedam vicissitudo gaudii, et redit post tempestatem serenitas, post tribulationem laetitia, senibus autem post nubes sequitur pluvia, ein Unglück

---

o) Senectus. 1536: Senectutis descriptio. p) Lux. q) Tenebrae.

243) juvenibus.

uber das ander, ein Wetter uber das ander. Sic etiam tristem senectutem poetae dixerunt.

Quando custodes domus trepidabunt.

Descriptiones sunt et picturae senectutis, vult dicere: Adsuesce ferre mala, vivas in timore Dei, antequam custodes domus trepident, id est, priusquam manus tremant. Manus r) enim sunt tutores corporis, ut Aristoteles quoque manum vocat organum organorum, quia multiplicis officii est, omnibus reliquis membris servit, cum alia membra singula sua habeant officia. Est autem corpus s) nostrum domus quaedam, in qua invenire est et politiam et oeconomiam, cujus politiae rex caput est, custodes manus etc.

Et fortes[244]) se incurvant.

Id est, quando labascunt crura t), genua u) vacillant. Fortitudo enim tribuitur ossibus ac tibiis, ut Psal.: Non in tibiis viri beneplacitum est Domino.

Quando otiosae sunt molentes, eo quod paucae factae sunt.

Extrema senectus est edentula; dentes v) igitur sunt molentes cibum, os enim est mola. Es mahlt sich ubel, wo die Zähn ausgefallen sind.

Quando contenebrascunt videntes per fenestras.

Id est, cum oculi w) parum prospiciunt. Habet

---

r) Manus. 1536: † custodes corporis. s) Corpus. 1536: † humanum domus. t) Crura. u) Genua. v) Dentes. w) Oculi.

244) fores.

enim senectus caligantes oculos; omnes enim vigores sensuum minuuntur in senibus.

Et ostia platearum clauduntur, et vox molitricis extenuatur.

Id est, os x) est pendulum et tremulum; os enim est ostium cordis, Matth. 15 y): Ex corde egrediuntur etc. Deinde guttur z) claudit vocem a), ut fiat exilis, hoc est, ostia claudi. Duo enim labia b) sunt fores sive ostium per quae exit cor nostrum, sicut per januam exitur in plateam. Ista janua in senibus clauditur, ut non possint cantare, clamare, loqui, imo vix trahunt spiritum.

Et consurgitur ad vocem volucris, et flaccescunt omnes filiae cantici.

Id est: Non solum graviter loquuntur, sed etiam aegre dormiunt. Quia exsiccatis humoribus, id quod fit in senibus, deest radix et causa somni. Somnus enim habet suum pabulum ex ipsis humoribus. Excitantur ergo ad omnem vocem volucris, cum juvenes secure stertant, nec tantum gallorum cantus aut canum latratus, sed etiam tonitrua obdormiant.

Omnes filiae carminis.

Id est [245]) aures c). Hebraismus, ut filius auxilii, lucis, tenebrarum, de quo et supra dictum. Sic aures dicuntur filiae carminis, id est, quae ver-

---

x) Os. y) Matth. 15. z) Guttur. a) Vox. b) Labia. c) Aures. 1536: † filiae carminis.

245) † Ambae (1532).

santur in carminibus, vel quae audiunt canticum. Istae filiae carminis flaccescunt, sie werden welk, id est, senibus ingravescunt, ac obsurdescunt aures, non delectantur auditu musico.

Altitudo timet et reveretur in via.

Id est: Senex incedit incurvatis humeris et capite. Altitudo enim in corpore sunt caput et humeri. Ista, inquam, altitudo timet, id est, incurvatur. Vult dicere: Senes incedunt more timentium, quocunque incedunt, quia obstipo capite et flexis humeris, id quod etiam solent metuentes.

Quando floret amygdalus.

Id est, caput canescit. Amygdalus enim prae ceteris arboribus stat canis floribus. Ab hac igitur florente amygdalo sumit metaphoram canescentis senis.

Cum onerabitur locusta.

Id est: Similis est talis senex locustae. Der ganze Leib ist nichts denn Haut und Bein. Ossa enim exstant, et corpus est exhaustum. Estque mere quaedam imago mortis d).

Quando cessat Capparis.

Id est, quando cessat voluptas. Sic enim ego malo interpretari Hebraicam vocem. Non autem intelligit istam veneream voluptatem, quae in senibus potissimum cessat, sed omnem etiam honestam

---

d) Senex imago mortis (1536).

voluptatem, quasi dicat: Senex nulla re jucunda frui potest, sed ad omnia est inutilis. Nulla ejus jucunda est conversatio aut colloquium, sed est vivum cadaver. Vides ergo eum hic loqui de decrepita et inutili senectute, non de ea, quae adhuc utilis est gerendis rebus.

Quia ibit homo in domum aeternitatis suae, et circumibunt in platea plangentes.

Interserit locum, qui cogit nos intelligere de ipsa senectute hoc caput. Vult dicere: Nihil restat, nisi quod homo vadat in domum aeternitatis suae, id est, sepulcrum. Sepulcrum enim est domus aeternitatis e) sive mundi sui, quia eo vadit, et non revertitur. Interim lugemus eum, qui ad sepulcrum fertur. Mit Heulen und Klagen trägt man ihn zum Grab. Time ergo Deum antequam venies[246]) ad senectutem, quia tum nihil habebis, nisi quod te cum planctu efferent ad sepulcrum.

Antequam tollatur funiculus argenteus, et fontes aurei auferantur.

Id est: priusquam cessat esca et potus, quae comparantur funiculo argenteo ac auro rotundo, sive aurea rota seu annulo. Ut enim rota seu circulus recurrit et redit in circulum semper, sic etiam esca et potus semper recurrunt, et sunt vere argenteus funiculus, quia solum ab istis pendet et sustentatur vita nostra.

---

e) Sepulcrum domus aeternitatis (1536).
246) venias (1532).

Antequam conteratur hydria ad fontem, et conteratur rota ad cisternam.

Id est: Antequam cesset anhelitus et vita. Hydria est corpus nostrum, quod semper indiget, ut reficiatur; rota super cisternam stomachus et alia membra, quae praestant corpori alimenta.

Et revertatur pulvis in terram suam, sicut erat ab initio.

Spectat Salomon ad locum Gene. 2. f), quasi dicat: Post mortem pulvis revertitur ad terram, ut antea fuit. Omnes fuimus pulvis, ideo in morte revertimur in pulverem, sicut antea fuimus.

Spiritus autem revertatur ad Deum, qui dedit illum.

Spectat et hic in locum Gene. 2. g): Inspiravit Deus in faciem hominis spiraculum vitae. Non definit quo abeat spiritus, sed quod ad Deum revertatur, a quo venit. Sicut enim ignoramus unde Deus spiritum fecerit, ita etiam nescimus quo redeat.

Vanitas vanitatum, dixit ecclesiastes, et omnia sunt vanitas.

Concludit librum eodem dicto, quo incepit, et addit commendationem doctrinae suae, et adhortationem[247]), ut peregrinis et variis doctrinis non abducamur, sed permaneamus in eo, quod prae-

---

f) Gene. 2. g) Gene. 2.

247) exhortationem.

scriptum est. Haec enim est magna miseria, quod ubi Deus suscitaverit verbum suum et bonos doctores, mox surgunt haeretici ac impii doctores, qui aemulatione quadam populum ad se avertunt. Ita et cura apostolorum fuit, ut retinerent nos in doctrina sua. Hanc enim perversitatem cogitur etiam ferre ipsa doctrina sana ac verbum Dei. Cum Deus suscitavit verbum suum, mox adsunt haeretici et simiae, qui imitantur verbum. Moses instituit cultum divinum et caeremonias quasdam, mox secuti sunt illius simiae, et erexerunt idola, sicut in artificiis, si quis est bonus poëta, cogitur ferre suos Zoilos, si bonus est artifex, sequuntur fuci isti. Sic omnes artes habent imitatores suos, id est, perditores. Hoc vero omnium pessimum est, quod multitudo sequitur illos stultos et praefert veris artificibus[248]), sicut de illis Christus, seducunt, inquit, multos. Hoc conqueritur hic Salomon.

Ecclesiastes hic non solum fuit sapiens, sed et docebat populum scientiam. Ipse observabat, inquirebat, et plurima componebat proverbia.

Id est: Nihil reliquum ecclesiastae, quam quod erat sapiens et recte docebat, sed non succedebat, non sequebatur. Fuit vir diligens, scrutabatur, quomodo ordinaret singula, diligenter docuit, constituit multa egregie et praeclare, sed ubi sunt, qui audiunt, et qui suscipiunt? Praeter verba nihil sequitur.

---

248) veros artifices (1532.)

Nam aut desunt auditores aut succedunt impii magistri et subversores.

Quaesivit verba accepta, et recte scripsit sermonem veritatis.

Id est: Studuit ut prodesset dignis et salutaribus verbis, seu, ut Paulus loquitur, quae sunt verba omni acceptatione digna, et conscripsit recte verba veritatis. Non involvit obscuritate, sicut solent illi imitatores, qui cum non recte intelligant neque recte docent h). Signum enim scientis est, posse recte docere, ait Aristoteles i). Et Demosthenes k) interrogatus, quomodo quis bene seu recte diceret, respondit, si nihil diceret, nisi quod bene sciret. Qui enim bene intelligit, potest etiam bene dicere. Estque commendatio autoris, quasi dicat: Bene et clare docuit, ita ut possit quis ex illius libro intelligere, quid cogitare, quid conari, quid facere debeat, aut non debeat.

Verba haec sapientum sunt hastae et clavi, per magistros concionis conscripta, et a pastore uno tradita; cave, fili mi, ab aliis, nam scribendorum librorum nullus est finis, et multae conciones fatigant corpus.

Hic adhortatur, ne doctrinis variis et peregrinis abducamur, quasi dicat: Habetis egregium magistrum et doctorem [249]), cavete novos doctores.

h) Docendi perspicuitas unde (1536). i) Aristoteles. k) Demosthenes.

249) eruditorem.

Nam hujus magistri verba sunt stimuli vel hastae, id est, sunt plantati, sie sind geheftet. Talia etiam sunt David et prophetarum verba. Der Humpeler Wort sind wie der Schaum auf dem Wasser. Et ex hoc loco conjicio fuisse aliquos ordinatos in isto populo, quorum officium erat relegere libros, et veras historias, quas digererent in annales Hebraeorum, et reliquos in ordinem redigerent, ut sic facerent libris autoritatem, et approbarent qui digni essent lectu.

Sic fuerunt multi autores, qui scripserunt Biblia. Ex istis autem omnibus recepti et adprobati sunt illi libri, quos hodie vocamus Biblia. Ait itaque: Vide ergo, mi fili, ut adhaereas istis libris, qui sunt recepti, reliquos autem contemnas, quia et a viris istis sapientibus sunt contempti. Fit enim, ut cum unus bonus liber editur, edantur et decem alii mali, sicut et nobis contingit. Sed verba sapientum sunt vera et firma, daran man sich halten mag und soll. Quia sunt clavi plantati, habent autoritatem a viris congregationis. Reliqui libri non sunt tales.

Veruntamen dati a pastore uno.

Id est: Rex unus, qui est pastor, constituit sapientes viros agnoscendis et adprobandis libris. Isti, inquam, in hoc libro agnoverunt spiritum sanctum, et adprobaverunt populo. Sic etiam evangelia sunt suscepta a patribus et adprobata 1), id est, ipsi patres agnoverunt spiritum sanctum. Non

---

1) **Evangelia a patribus adprobata (1536).**

autem ex hoc inferendum: ergo ecclesia vel patres sunt supra evangelium. Sicut non sequitur: ego cognosco Deum verum et vivum, et verbum ejus, ergo sum supra Deum et ejus verbum. Sicut non est superior principi [250]), qui principem agnoscit [251]), ita et hic. Viri isti non docent pastorem hunc, sed recipiunt a pastore uno. Sic et ego distinguo inter libros, et dico: Epistola haec est apostolica, haec non est apostolica. Hoc vero nihil aliud est, quam quod testimonium perhibeo veritati. Sequitur exhortatio.

A reliquis prae illis, fili mi, sis cautus.

Id est: Sequere illos libros, qui sunt probati ab his, qui habent spiritum sanctum, et agnoverunt datos ab uno magistro et pastore.

Quia faciendorum librorum nullus finis.

Ibi tangit infelicitatem humanae naturae, qua omnes imitantur istos viros ac optimos scriptores, sed magna infelicitate et incommodo. Vult ergo dicere: Tu versaris in mundo, ubi invenies innumeros libros, quibus student prodesse populo, sed tu mane in certo numero, und halt dich an die Schrift, ut supra.

Frequens meditatio carnis adflictio.

Hoc dicit non de personali adflictione ipsius scribentis, sed discipulorum vel auditorum, quasi

---

250) principe. 251) † nec supra parentem, qui parentem agnoscit (1532).

dicat: Ipsi suis multis scriptis et libris nihil aliud faciunt, quam quod homines adfligunt m), quibus tamen consulere volebant, semper scilicet discentes, et nunquam ad veritatem pervenientes. Iste, inquam, est fructus horum librorum, perturbare conscientias [252]), vexare populos. Ideo persistendum est et manendum in dogmate unius doctoris, uni adhaerendum est, aut paucis, qui veram formam doctrinae habent, reliquos cave, qui tantum hoc agunt, ut videantur aliquid novi attulisse, et doctiores habeantur aliis, ut nunc sacramentarii et similes. Recte ergo inquit Jacobus: Nolite plures effici magistri.

Finem rerum omnium audiamus: Deum time, mandata ejus serva.

Id est, summa summarum haec est: Deum time et cole, ac habeto illum in conspectu tuo, sic servabis omnia, quae digessi hoc libro. Nisi enim quis Deum timeat, nihil horum servare poterit. Proposuit exempla eorum, qui vivunt sapienter et egregie absque timore, qui tamen cum veniunt mala, insolescunt, et se [253]) adfligunt; qui vero Deum timent, possunt etiam contemnere et irridere omnia mala et adversa, ubi venerint, et gratias agere, si non venerint.

Hoc enim omnium hominum est.

Id est: Quod ad omnes homines pertinet, et

---

m) Librorum multitudo adflictio (1536).
252) † et (1532). 253) sese (1532).

omnibus est utile. Aliis generibus vitae quaeritur quaestus, isto pietas. Idem Paulus sic dicit: Haec sunt utilia hominibus, vaniloquia autem devita.

Quia omne opus Deus adducet ad judicium, propter omne absconditum, sive bonum sit sive malum.

Id est: Omnia tandem venient ad judicium n), sive bona sive mala; vaniloqui, detractores, stolidi tandem confundentur, nec durant illorum dogmata. Ita Zoilus o) ille tandem vivus e saxo praecipitatus est. Homerus p) vero manet hactenus princeps poetarum, etiam invitis omnibus Zoilis, aut si qui sunt illo nequiores; ita omnes alii boni autores, praesertim in doctrina sacra, dei consilio seu divina virtute hactenus perseverant.

Propter omne absconditum.

Id est, hypocrisin, quia istae simiae fingunt sibi speciem bonam et vitae et doctrinae. Sic Psalm. 25. q) quoque dicit: Non sedebo cum absconditis, id est, quos Christus hypocritas vocat, Paulus habentes speciem pietatis. Ideo omne opus judicabit Deus, ut maneat quod genuinum est, ablato fuco, quo illi opus absconderunt. Non loquitur autem de judicio extremo, sed usu scripturae, et generaliter de quibuslibet judiciis, sive quibus haeretici judicantur et perduntur, sive quicunque impii. Omnia habent suum judicium et tempus a Deo con-

n) Veritas tempore elucescit. o) Zoilus. p) Homerus. q) Psal. 26.

stitutum, quod ferre coguntur. Sic Papa r) hodie ducitur ad judicium, et fere judicatus est. Sic item Arius s) et reliqui haeretici ducti sunt ad judicium, et revelavit eorum pudenda Dominus, ut Petrus inquit: In tempore inspectionis.

---

r) Papa. s) Arius.

Explicatio loci

Ecclesiastis VII.

Non est justus in terra etc.

Contra Scholasticorum sententiam.

EXPLICATIO LOCI ECCLESIASTIS VII, 21: NON EST JUSTUS IN TERRA etc.

Docet hic Lutherus, anno 1518, justum etiam inter bene operandum peccare atque disputat contra Scholasticos, qui perfectionem in observanda lege a Deo non requiri putant, et quod statuant, sufficere si quis faciat quod est in se, id quod 24 argumentis refellit (v. Seckendorf. Hist. Luth. Ind. III ann. 1518. Supplenda 10).

Hic tractatus jam non exstare videtur separatim typis expressus; in collectionibus invenitur

a) latinis:

Jenens. I, 181 sqq.; in Loescheri Actis Reformationis II, 325.

b) germanicis:

Lipsiens. Supplem., a M. J. Jac. Greiffio in sermonem german. versus. Walch V, 2364.

Nos textum Jenensem repetiimus ratione habita textus, qui est Loescheri.

Joannes Conradus Irmischer, postquam per quinque fere lustra Lutheri operibus et germanica et latina lingua conscriptis denuo edendis egregiam navavit operam et mira diligentia atque industria, quam hac in re collocare nunquam desinebat, magnam sibi laudem comparavit et optime de ecclesia evan-

gelica meritus est, summo cum dolore nostro perficiendo operi suscepto mense Aprili anni 1857 morte est ereptus. A bibliopola igitur Henrico Zimmer Francofurtensi V. M. V. rogatus, ut Lutheri quae reliqua essent opera latina prelo excudenda curarem, equidem, qui paene totum indicem rerum ad Lutheri opera germanica editionis Erlangensis congesserim, denegare nolui. Deo adjuvante, quo consilio haec editio latina anno 1829 a Dr. Christ. Steph. Theoph. Elsperger est adornata atque incepta et a Dr. Henr. Schmid et Dr. Conr. Irmischer continuata, eodem summa qua potero diligentia perficere conabor.

Scribebam Erlangae m. Julio 1858.

Dr. Henr. Schmidt,
scholae Latinae Erlangensis
praeceptor.

EXPLICATIO LOCI ECCLESIASTIS VII. NON EST JUSTUS IN TERRA etc.

Contra Scholasticorum sententiam.

Quod justus etiam inter bene operandum peccet, patet.

Primo per illud Eccles. 7: Non est justus in terra, qui faciat bene, et non peccet. Hic autem ab aliis dicitur, quod justus quidem omnis peccet, sed non quando bene facit. Quibus respondetur: Si id vellet haec autoritas, quid superfluit verbis? An Spiritus sanctus delectatur multiloquio et nuga-

tione? Nam iste sensus fuisset abunde sic expressus: Non est in terra, qui non peccet, ut quid addit: Qui benefaciat? Quasi alius sit justus, qui faciat male? non enim nisi justus facit bene. At ubi de peccatis extra benefacto loquitur, sic dicit *): Septies in die cadit justus, hic non dicit: Septies in die cadit justus, quando benefacit.

Secundo per illud Apostoli, Roma. 7: Quod nolo malum, hoc ago, quod volo bonum, non ago; et infra: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris**) meis, repugnantem legi mentis meae. Ecce, simul delectatur et displicet in lege Dei. Simul vult bonum secundum spiritum, et tamen hoc non agit, sed contrarium. Hoc itaque contrarium est noluntas, quia semper est, quando est voluntas. Per hanc bene facit, et per illam male facit. Nolle est ex carne, et velle ex spiritu. Ideo tantum ibi est peccati, quantum noluntatis, difficultatis, necessitatis, resistentiae, et tantum ibi meriti, quantum voluntatis, pronitatis, libertatis, hilaritatis. Mixta enim sunt haec duo in omni vita et opere nostro. Quodsi sit tota noluntas, jam ibi est peccatum mortale et aversio. Tota autem voluntas in hac vita non est, ideo semper peccamus, dum benefacimus, licet quandoque minus, quandoque magis. Haec enim est causa, quare non sit justus in terra, qui faciat bene, et non peccet. Est autem talis justus in coelo tantummodo. Sicut ergo homo sine ista noluntate non est, ita nec sine ea operatur. Ac per

---

*) Proverb. 24. **) Lex in membris repugnans legi mentis. Roman. 7.

hoc nec sine peccato est. Quomodo enim sine ea operari potest, qui sine ea vivere et esse non potest?

Sic etiam scriptura dicit *): Quis gloriabitur se habere cor mundum? Idem Gala. 5 **): Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, haec duo enim sibi invicem adversantur, ut non ea, quae vultis, faciatis etc.

Tertio per illud Psal. 143 ***): Non intres in judicium cum servo tuo, domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Haec quaero, an ille justus, qui fingitur, cum in ipso jam pulcherrimo merito actualiter fuerit, etiam sit inter eos numerandus, qui vivunt? Si est inter omnes qui vivunt, ergo non justificatur, cur hoc, si non peccat in eodem merito suo?

Ratione probo.

Quicunque minus facit, quam debet, peccat, sed omnis justus bene faciens minus facit quam debet. Ergo, minorem probo: Quicunque non plena et perfecta dilectione bene facit, minus facit quam debet. Sed omnis justus ille est hujusmodi. Majorem probo per illud praeceptum: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo et totis viribus etc. De quo Dominus Matth. 5. ****): Unum iota aut unus apex non praeteribit a Lege, donec omnia fiant. Ergo oportet ex totis viribus diligere Deum, aut peccamus. Sed minor: Quod non ex totis viribus diligamus, supra probata est, quia voluntas in carne

*) Prover. 20. **) Galat. 5. ***) Psal. 143.
****) Matth. 5.

et in membris impedit hanc totalitatem, ut non tota membra seu vires diligant Deum, sed resistit interiori voluntati Deum diligenti.

Sed dicunt illi: Non requirit hoc perfectum mandatum Deus a nobis. Quaero: A quo tunc requirit? An a lapidibus et lignis? An a pecoribus? Error hoc est, quia Roma. 3. *): Scimus, quod quaecunque lex loquitur, iis qui sunt in lege, loquitur. Ergo nobis praeceptum est, a nobis requiritur. Per istam falsissimam hujus dicti intelligentiam **): Deus non requirit perfectionem, factum est, ut diceretur non esse peccatum, quidquid minus plenissima caritate fiat, cum id ideo non requirat, quia ignoscit, non quia sit licitum et non peccatum, alioqui praeceptum suum mutasset, quod est contra suum dictum: Unum iota aut unus apex non praeteribit a lege etc.

Arguo nunc contra illa.

Primo dicit Johannes in sua Canonica ***): Qui natus est ex Deo, non peccat. Item, Gene. 20 ****): Abimelech Deus testimonium dedit, quod in simplicitate cordis fecerit, ergo non peccavit; Psal. 86†): Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, et quaecunque alia huc duci possunt.

Respondeo: Utrumque verum est, quia natus ex Deo non peccat, et peccat ††). Nisi forte Paulus Rom. 7. †††) non fuit natus ex Deo, aut ipse idem Johannes mentitus contra se ipsum dixit ††††):

---

*) Roman. 3. **) Dictum Scholasticorum. ***) 1. Johan. 3. ****) Genes. 20. †) Psal. 86. ††) Natus ex Deo non peccat etc. †††) Roman. 7. ††††) 1. Johan. 3.

Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus. Peccat scilicet in opere eodem propter voluntatem carnis, non peccat propter contrariam voluntatem spiritus.'

Dicis itaque: Quomodo ergo implemus legem Dei? Respondeo: Quod non implemus, ideo sumus peccatores, et Deo inobedientes. Nec hoc est peccatum veniale ex genere et natura sua; quia nihil inquinatum intrabit in regnum coelorum, ideo pro omni peccato requiritur damnatio, cum Christus dicat *), quod nec unum iota, nec unus apex praeterire debeat, donec omnia fiant **). Rectissime ergo B. Augustin. ***) 1. retractat. 19: Omnia mandata divina implentur, quando quidquid non fit, ignoscitur, ergo praecepta Dei implentur, plus ignoscente per misericordiam Deo, quam operante per justitiam homine, quia major misericordia Dei, quam justitia hominis. Hoc est quod illi dicunt: Non requirit Deus perfectionem, ubi deberent dicere: Ignoscit Deus; sed quibus? ****) Numquid securis, et peccatum illud non putantibus? Absit, sed dicentibus: Dimitte nobis debita nostra, ex vero corde, hoc malum suum agnoscentibus, odientibus, sicut Ezech. 20. †): Et displicebitis vobis in conspectu, in omnibus malitiis, quas fecistis etc.

Hoc est quod Psal. 32. ††) dicit: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus; si est sanctus, non habet impietatem, nisi in peccato remissam. Pro qua ergo orat? Utique pro remittenda orat, nam pro

*) Matth. 5. **) Quomodo Lex impletur. ***) Augustinus. ****) Quibus Deus ignoscat. †) Ezech. 20. ††) Psal. 32.

remissa gratias potius agit. Deinde non debuit dicere: sanctus, sed: omnis peccator pro ea orabit, si de praeterita vellet loqui. Sanctus est, cui remissae sunt iniquitates, et sanctus orat pro remissione iniquitatis. Mira sententia, nec potest solvi per illorum stultam et carnalem glossam, quod sanctus de praeteritis orat, quia propheta non de se, sed de iis, quos videbat sanctificatos remissisque peccatis eorum sanctos, et tamen dicit eos orare pro remissione; nisi forte propheta vel mentitur, vel adulatur, appellans eos sanctos, quibus non essent peccata remissa, sed orare, ut remittantur, cum ante remissionem utique peccatores dicere deberet.

Igitur.

Haec est dulcissima Dei Patris misericordia, quod non fictos, sed veros peccatores salvat*), sustinens nos in peccatis nostris, et acceptans opera et vitam nostram, omni abjectione digna, donec nos perficiat atque consummet. Interim in protectione et umbra alarum ejus vivimus, et judicium ejus effugimus per misericordiam ejus, non per justitiam nostram.

Facessant igitur argumenta fumi humani: unus et idem actus non potest esse acceptatus et deacceptatus Deo, sequitur enim quod sit bonus et non bonus. Respondeo: Ergo nec potest homo simul timere judicium, et sperare misericordiam? Dico itaque, quod omnis actus bonus est acceptatus, et

*) Deus non fictos, sed veros peccatores salvat.

non deacceptatus *) et econtra: est non acceptatus, sed deacceptatus, quia est acceptatus per ignoscentiam, ac sic non deacceptatus, quia ignoscit per misericordiam, quod minus acceptatione dignum est. Idem autem est deacceptatus, id est, peccatum, in quantum est ex carnis malitia actus. Sed tamen hoc Deus ignoscit in hoc tempore, et requirit tam in hoc quam futuro tempore. Non enim est ullus actus, quem Deus acceptet simpliciter, (ista enim nomina ex humano corde ficta sunt), sed omni actui nostro ignoscit et parcit. Illi autem praesumunt, quod sit aliquis, quem acceptet, sine ignoscentia, quod est falsum. Quando ergo ignoscit, non acceptat, neque deacceptat, sed ignoscit. Et sic acceptat misericordiam suam in operibus nostris, hoc est, faciem Job, scilicet Christi pro nobis: Ipse est enim propitiatorium Dei, qui opera nostra excusat, et ignoscibilia facit, ita ut quod minus est in nobis, per plenitudinem ejus suppleamus, ipse enim est justitia nostra solus, donec efficiamur conformes imagini ejus.

Denuo probo.

Primo **), non est in me, (id est, in carne mea) bonum, multo minus in illis erit bonum, qui sunt omnino caro et sanguis. Apostolus enim in persona sua et omnium justorum loquitur. Si ergo hi, dum faciunt quod extra eos est, et secundum gratiam, adhuc non faciunt quod debent, licet vehe-

*) Omnis actus bonus etc. **) Matth. 7.

menter laborent, quanto magis ii, qui id, quod sine gratia in se ipsis est, facientes, non laborantes, contra faciunt quam debent? At hic iterum dicunt: Verum est, deficiunt, sed idem defectus non est peccatum. Respondeo: Ex natura sua peccatum est, sed gementibus Deus non imputat.

Secundo, per illud Gene. 6. *): Cuncta cogitatio cordis humani prona est ad malum ab adolescentia sua. Hic non dicit: Cogitatio, sed cuncta cogitatio, et quidquid cogitat homo, malum est, quia quaerit quae sua sunt, nec potest aliter sine gratia Dei.

Tertio, 1. Corinth. 13. **) caritati soli tribuitur, quod non quaerit quae sua sunt, sine qua Apostolus Philip. 2. ***) proclamat: Omnes quaerere quae sua sunt, non quae Jesu Christi, sed quaerere quae sua sunt est mortale peccatum.

Quarto, Oseae 13 ****): Perditio tua, seu perditio tibi, Israel, ex me tantummodo auxilium tuum. Non ait: Justitia, sed perditio tua est, nihil nisi perditum operaris ex te ipso.

Quinto, non potest arbor mala fructus bonos facere. †)

Sexto, qui non est mecum, contra me est ††). Sed contra Christum esse, est peccatum mortale, et non esse cum eo, est extra gratiam esse.

---

*) Cuncta cogitatio humani cordis ad malum prona. Gene. 6. 8. **) Caritas non quaerit quae sua sunt. 1 Cor. 13. ***) Philip. 2. ****) Oseae. 13. †) Matth. 7. ††) Lucae. 11.

Septimo, si quis non manserit in me, mittetur foras sicut palmes, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet *). Ecce extra Christum esse, est ignem mereri, et arescere assidue. Utique operando quidquid operetur, quod utique de venialibus non potest intelligi.

Octavo, virgines stultae **) nonne rejectae sunt, non quia non fuerunt operatae, sed quia sine oleo operatae fuerunt. Fecerant bona ex se, sed non ex gratia, quia gloriam suam quaesierunt, quo vitio sine gratia impossibile est hominem carere.

Nono, pluit Deus super bonos et ingratos ***). At ingratus est, qui Dei bona non refert accepta Deo, quod est mortale peccatum. Ac sic necessario sunt opera extra gratiam.

Decimo, qui facit peccatum, servus est peccati ****). Quomodo est possibile, ut servus diaboli, captivus peccati, faciat aliud quam peccatum, cui servit? Quomodo potest opus lucis facere, qui est in tenebris? Quomodo opus sapientis, qui est stultus? Quomodo opus sani, qui est aegrotus? Et multa talia. Omnia ergo quae facit sunt opera diaboli, opera peccati, opera tenebrarum, opera stultitiae.

Undecimo, si esse hominis est sub potestate tenebrarum, quomodo non etiam operari ejus? Arbor est sub diaboli tyrannide, et negantur fructus ejus sub eodem esse.

Duodecimo, illud Psal. 94. †) quod Aposto-

---

*) Johan. 15. **) Matth. 25. ***) Matth. 5. ****) Johan. 8. †) Psal. 94.

lus adducit: Deus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt *). Et Psal. 33 **): Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum. Hic quaero: An cogitationes hominum intelligas eas, quas homo cogitat ex se? Si sic, audis reprobatas, et non tantummodo mortuas, sed displicentes coram judicio Dei; si sunt autem cogitationes, quas homo non ex se, sed ex mala inclinatione, facit, non debuit eas vocare hominum cogitationes. Certum est, quod ea consilia intelligit, quae dictant homines ductu rationis naturalis, alioqui stultitias potius appellaret. Nunc id, quod est sapientiae in hominibus, Deus reprobat, quanto magis stultitiam.

Tertio decimo, illud Proverb. 3: Ne innitaris prudentiae tuae ***). Haec universaliter, vel particulariter sunt intelligenda. Si universaliter, nullum est dictamen rationis, non reprobatum et damnatum, si particulariter, ut multi putant, ergo quandoque licet inniti sibi ipsi et suae prudentiae, contra hunc expressum textum.

Quarto decimo, si homo potest ex se ipso aliquid facere sine peccato bonum, ergo digne potest etiam sibi dare gloriam, pro modo bonitatis a se factae. Dicat ergo se esse bonum, sapientem, fortem, et glorietur caro in conspectu Dei, contra apostolum expresse dicentem: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Quinto decimo, Psal. 81 ****): Dimisi eos secun-

---

*) Cogitationes hominum vanae sunt. **) Psal. 33.
) Ne innitaris prudentiae tuae, Proverb. 3. *) Psal. 81.

dum desideria cordis sui. Ecce poena est peccati secundum cor suum relinqui hominem. Ergo mortale peccatum. At cor suum est etiam quaecunque voluntas hominis extra gratiam; alioqui dixisset: Dimisi eos secundum desideria inimici, et ibunt in adinventionibus hostium, non autem suis.

Sexto decimo, Rom. 14: Omne quod non est ex fide, peccatum est *). Quod B. Augustinus de fide Christi intelligit, licet alii exponant de conscientia. Veruntamen etiam fides Christi est conscientia bona. Sicut Petrus ait **): Conscientiae bonae interrogatio in Deum, id est, quod in Deum bene confidit. Igitur si opus extra fidem non esset peccatum mortale, sequeretur, quod Paulus ibi propter veniale peccatum adeo laboraret, quod est falsum, cum sine veniali nullus possit vivere. Ergo omne, quod non est ex fide, peccatum mortale est et damnabile, quia et contra conscientiam est, conscientiam, inquam, fidei in Christum, quia non in fiducia ejus operatur. Non enim credit sese placere Deo ad meritum, et tamen agit in tali infidelitate et conscientia.

Decimo septimo, melior esset conditio peccatoris, quam justi, quia justus in opere suo peccat venialiter, et impius non peccat. Quare necessarium est, ut plus peccare quam venialiter concedatur. Item: Justi verentur opera sua, quanto magis impiorum opera sunt timenda. Aut iterum melior est conditio impii quam justi, cum hic timeat, ille securus sit ***).

---

*) Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Rom. 14.
) 1 Petr. 3. *) Job. 9.

Decimo octavo, si homini facienti, quod in se est, datur gratia, ergo homo potest scire, se esse in gratia. Probatur: quia homo aut scit sese facere quod in se est, aut non scit. Si scit, ergo et gratiam se habere scit, cum dicant, omnino gratiam dari facienti quod in se est; si non scit, frustra datur illa doctrina, et cessat ejus consolatio, quia quocunque opere facto nescit an fecerit quod est in se, ergo dubius remanet semper.

Decimo nono, quaeritur, quale sit illud opus, quod homo facit, quando facit quod est in se? Si nullum potest dari, cur ita docetur facere quod nescit quid sit? Si autem est, detur. Et datur a quibusdam actus diligendi Deum super omnia.

Hic (ut digrediar parum) dico primum: tales magistros gratiae Dei nihil tribuere praeter ornatum quendam operibus nostris, non ut sanet aegros, sed ut ornet fortes. Opera possumus facere, sed non colorata. Et ita gratia est res vilissima donumque non necessarium propter nos, sed propter voluntatem et intentionem praecipientis, ut dicunt. Et quis hanc injuriam ferat Christianus? Christus ergo gratis mortuus est pro nobis, sed pro intentione Dei passus est. Nos non eguimus, sed intentio praecipientis, si quidem nos potuimus implere legem; sed Deus non erat contentus, quin ultra legem exactionator esset gratiae suae; et ita redit non Pelagius, sed pejor blasphemator quam Pelagius. Sic Deum super omnia diligi naturaliter invenimus, et non pudet dicere, super omnia. Sed tamen respondeo: Si actus diligendi Deum est facere quod est in se, adhuc stabit, quod homo

nescit quando diligat, ac per hoc, nec quando faciat quod est in se, aut quomodo et quid faciat, ut faciat quod est in se; aut certus erit de gratia, quod omnes negant.

Si dixeris: Debet conari, ut faciat quod in se est. Respondeo: Iterum quaero: an scit se conari, et quomodo conetur [1]? Si scit, iterum certus est, si nescit, iterum vana est doctrina. Imo illud conari, aut est idem quod facere in se, et redit eadem quaestio, aut aliud; ergo homo non faciendo quod in se est, sed conando ad tale facere, facit quod est in se. Ergo faciendo quod est in se, nondum facit, quod in se est.

Vicesimo, cessent vana verba, et experientiam consulamus. Faciat quisquis quod est in se, dum irascitur, irritatur, tentatur, imo praeparet se ad illuminationem ejus, quod ignorat, et videamus, an impetret. Agat, quaeso, et incipiat, et videamus quidnam faciat et fiat.

Vicesimo primo, si homo faciendo quod est in se gratiam obtinet, impossibile videtur, quod non omnis, vel saltem major pars hominum salvarentur. Quaero: Quando homo superbit, peccat etc., an faciat ipse homo tale opus, aut alius? Ipse utique; an ex se et suis viribus? an ex alio et alienis viribus? Ex se et suis viribus. Ergo quando homo peccat, facit quod est in se. Quare econtra, quando facit, quod est in se, peccat.

Sed hic dicitur: Loquor de homine et viribus, ut bonis naturaliter, non ut in abusu ejus sunt.

---

1) Loescher: † et quid faciat ut conetur?

Respondeo: At vires naturales sunt semper in abusu, quia sauciae. Est enim bona creatura, sed infirmata, nec agit separatim a suis morbis, sed infecta morbo agit: ideo non potest agere nisi ut infirma, etiamsi sit bona, sicut securis corrosa est ferrum, sed non agit nisi ut corrosa, quantumlibet sit ferrum.

Vicesimo secundo, cur ergo concedimus concupiscentiam invincibilem? Fac quod est in te, et non concupisce. At non potes. Quare nec legem naturaliter imples. Quodsi hanc non imples, multo minus illam dilectionis. Item, fac quod est in te, et non irascere offendenti. Fac quod est in te, et non time periculum.

Vicesimo tertio, fac quod est in te, et non horreas mortem. Quaeso: quis hominum non horret, non diffidit in morte? Quis hanc non fugit? Attamen ex quo Deus eam vult nos subire, manifestum est, quod naturaliter plus nostram quam Dei voluntatem diligimus. Si enim plus Dei voluntatem diligeremus, cum gaudio mortem susciperemus, imo lucrum putaremus, sicut putamus, quando nostra fit voluntas. Ergo figmenta sunt, quae loquimur. Deum longe infra se diligit, imo odit, qui mortem (id est, voluntatem Dei) odit seu non deligit. At omnes sumus tales. Ubi nunc est amor Dei super omnia? Ecce non super vitam nostram et voluntatem nostram Deum diligimus. Quid etiam de inferno dicam? Quis hunc non odit?

Vicesimo quarto, ipsa oratio dominica sola testis abunde est, quod mali sumus operarii in omni vita. Finge enim eum, qui facit, quod est in

se, an orandum sibi sit: Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua; an potius: sanctificatum est, et facta est? Si sanctificetur, ergo pollutum confitetur. Si fiat, ergo inobedientiam confitetur. Quod si id contingit in Filiis et Sanctis, quanto magis in impiis?

Anno MDXVIII.

In

Cantica Canticorum

brevis, sed admodum dilucida enarratio

D. Martini Lutheri.

BREVIS ENARRATIO IN CANTICA CANTICORUM.

Hanc enarrationem in Cantica Canticorum Lutherus ipse non edidit, M. Vitus Theodorus Norimbergensis ex praelectionibus academicis, quibus Lutherus Vittenbergae hunc Salomonis librum auditoribus suis explanaverat, eam congessit et anno 1538 evulgavit. Luthero non consentiente editum esse hunc commentarium ex epistola apparet, quam V. Theodorus ad Joannem Briesmannum, Theologiae Doctorem et evangelii apud Regiomontanos Borussos praeconem, misit et qua, nisi perpetuis Briesmanni precibus esset permotus, se hunc editurum fuisse negavit, namque quum ipse Lutherum hunc librum audisset explicantem, ennarrationes ejus breviter nonnisi in suum ipsius usum litteris sese consignavisse, quamvis diligenter operam dedisset, ut sententiam quam Lutherus indicasset in hoc libro explicando fideliter et dilucide redderet. Ita enim ille scripsit:

Eximio viro D. Joanni Briesmanno, sacrae theologiae Doctori, ac Evangelii fidelissimo praeconi Koningsbergae in Borussia, Domino et amico suo, Vitus Theodorus.

Gratiam et pacem in Christo. Recte dicitur, bis dat, qui cito dat. Quare ergo tardam hanc gra-

tiam non magnopere praedico, quod ante annos aliquot promissa Cantica nunc demum ad te mitto. Etsi enim cuperem in hoc genere tibi homini et de ecclesia Christi praeclare merito et recte sentienti de communibus nostris studiis gratificari, tamen quia sententia brevius indicata erat, verebar ne tibi minus grata esset opera nostra. Et quoque spes erat, futurum, ut ab amicis, qui nobiscum D. Martinum Lutherum audierant, ennarratio haec locupletior prodiret. Sed dum contantur illi, occupati aliis laboribus, et tu nullum finem flagitandi facis, existimavi melius esse, quantumvis breves sententias exstare, quam in universum carere ecclesiam hac erudita et pia summi Theologi enarratione in librum, tum ob genus orationis et figuras obscurissimum, tum ab aliis quoque ineptis sententiis mire depravatum.

Atque hic diligenter officio suo functus est D. Venceslaus, vir et ob aetatem ac sanctimoniam vitae reverendus, et mihi in ministerio Evangelii conjunctus. Is enim cum a te rogatus esset, ut hanc operam a nobis exigeret, omnem lapidem movit, ut quamprimum tibi satisfieret. Saepe dixi, nimis haec esse exilia, quae ego in meum usum ita signaram, ut inspicienti statim ob oculos esset sententia.

Praeterea non fas esse ajebam, vulgari haec sine consensu autoris, qui cum soleat summa gravitate et singulari copia in enarratione Scripturae uti, ridiculum esse, sic breves sententias sub ejus nomine in publicum emittere. Sed nulla ratio ei tanta esse visa est, quin perpetuo urgeret, ut tibi satisfacerem. Nolui diutius homini amico et tuam

causam agenti negare hoc officium. Si quid tamen a me peccatum est, nolo ut solus eam culpam sustineas. Feret ejus partem quoque tam sedulus monitor.

Opto autem, mi Briesmanne, ut hanc levem operam nostram grato animo accipias. Etsi enim fieri non potest, quin saepe uberiorem expositionem requirat lector, tamen sententiam, sicut eam D. M. Lutherus per totum libellum indicavit, fideliter et clare reddere conatus sum. Fortasse fiet, ut alio tempore simili officio declarem voluntatem et studium in te meum. Bene vale cum ecclesia tua. Salutant te reverenter fratres nostri, qui hic sunt in ministerio Evangelii, praecipue D. Venceslaus, tibi ob longam et jucundam consuetudinem gratissimus amicus. Datum Noribergae Calend. Augusti. Anno M.D.XXXVIII.

In hujus libri explicatione ipse Lutherus fatetur se novam iniisse viam; discedit enim non solum a profana interpretatione, quasi Salomon suos cum filia Pharaonis amores descripserit, sed et ab illa, qua conjunctio Dei cum Synagoga aut Christi cum anima fideli repraesentari in hoc cantico putatur suamque sententiam hanc esse dicit: quod sit encomium politiae Judaicae tunc florentissimae et thesauro verbi divini prae aliis gentibus ornatae, itaque plurima dicta de efficacia verbi et inde in Ecclesiam redundantibus beneficiis exponit. Alibi tamen passim dicta Cantici de Christo et Ecclesia vel anima fideli mystice applicat, ita ut in hoc commentario ad scopum et contextum libri universalem respicere videatur (v. Seckendorf. Hist. Luth. l. III. §. LXVII p. 186).

Editiones vetustissimae:

1) In cantica canticorum brevis, sed admodum dilucida enarratio D. Martini Lutheri. 1538. 8.
2) In Cantica Canticorum brevis, sed admodum dilucida enarratio D. Martini Lutheri. Witenbergae typis Ioannis Luft. An. M.D.XXXIX. $9^7/_8$ plagul. (Inscriptio lineis figurisque ligno incisis est circumscripta, pagina ultima nihil nisi typographi fert signum).
3) In Cantica Canticorum brevis sed admodum dilucida enarratio D. Martini Lutheri. Cum epistola Viti Theodori ad Johann. Brismannum, Theologum D. et Evangelii Praeconem Koenigsbergae in Borussia. Witteb. 1539. 8. (von der Hardt I, 378).
4) Enarratio Cantici Cantic. latin. redd. a Vito Theodoro. Wit. 8. 1539. (cf. Olearii ind. p. 41).
5) Commentarius in Cant. Canticorum. Basileae. 1543. 8. Editus est hic commentarius una cum altero libro, qui inscriptus est: In Micham prophetam D. Martini commentarius, opera et studio M. Viti Theodori, concionatoris Norimb., collectus et divulgatus. (cf. Olear. ind. p. 43).

In collectionibus:

Vuiteb. IV. 49. — Jenens. IV, 270. — Germanic.: Lips. VII, 1. Walch. V, 2384. Nos editionem originalem 2 secuti sumus.

PRAEFATIO D. MARTINI LUTHERI IN CANTICA CANTICORUM.

In hoc Canticum regis Salomonis multi varias, easque intempestivas et prodigiosas interpretationes commenti sunt. Verum ut quam simplicissimus et germanus hujus libri sensus *) quaeratur, existimo esse ejusmodi Canticum, in quo Salomon laudibus Deum celebret, eique pro constituto et confirmato divinitus regno ac politia sua gratias agat, et oret pro ejusdem regni sui conservatione et propagatione, simulque consoletur incolas et cives ejusdem regni, ut in tentationibus et rebus adversis bono animo sint, et Deo confidant, qui defendere et liberare perpetuo soleat suos, ad se clamantes etc. Quemadmodum autem Moses Exod. 15. **) canticum suum de illo opere, quod tum fiebat in mari rubro, composuit, et omnia cantica, quae in sacris literis exstant, ad suorum temporum historias directa sunt, quale est canticum Deborae, Jud. 5 ***), item Hannae 1. Reg. 2. ****) et pleraque alia, et major etiam pars psalmorum, exceptis illis, qui prophetias de Christo continent, ita haud dubie et Salomon Canticum illud scripsit de regno et politia sua, quod benignitate Dei in pulcherrima ac laetissima pace ac summa tranquillitate administravit, sicut ista omnia ex ipso textu patebunt.

Porro cum omne regnum, principatus seu politia, verbum et verum cultum Dei habens, multa incommoda cogatur ferre, hoc est, ludibrium et ab-

*) Argumentum libri. **) Exod. 15. ***) Judic. 5. ****) 1 Reg. 2.

ominatio esse toti mundo, in medio hostium versari, ac singulis horis, velut ovis mactationi destinata, mortem exspectare, merito tale regnum seu politia populus Dei vocatur, omnique jure potest hoc Canticum et politiam Salomonis, velut exemplum, sibi proponere, et ad eundem modum Deum laudare, in Deo gloriari, laetari, ac misericordiam et potentiam ejus divinam, qua tuetur suos contra diaboli insidias et mundi tyrannidem, admirari et praedicare. Quemadmodum enim psalmis Davidis et prophetarum scriptis utimur, velut exemplis, etiamsi non simus David nec prophetae, quia vero cum ipsis eadem et communia bona, hoc est, idem verbum, spiritum, fidem, beatitudinem habemus, eadem pericula et afflictiones propter verbum Dei sustinemus, merito etiam voces et sermones ipsorum nobis usurpamus, laudantes et canentes, sicut ipsi laudaverunt et cecinerunt; sic quaelibet politia, in qua est ecclesia, et princeps pius potest hoc Cantico Salomonis non aliter uti, ac si de sua ditione seu politia composita esset *).

Atque hoc modo fit ex isto Cantico Canticorum, quod Salomon de sua politia tantum cecinit, communis quaedam cantio pro omnibus politiis, quae sunt populus Dei, hoc est, quae verbum Dei habent et reverenter colunt et agnoscunt, ac vere credunt potestatem magistratuum a Deo constitutam et ordinatam esse, per quam conservet Deus pacem, justitiam et disciplinam, sontes puniat, innocentes defendat etc. Pro his tantis beneficiis Deum cum

*) **Canticum et politiam Salomonis quilibet pius magistratus imitari potest.**

gratiarum actione laudant et praedicant. Deinde pii magistratus et politiae non ponunt spem aut fiduciam ullam in opibus, potentia, sapientia et aliis humanis praesidiis, quae nec firma nec diuturna sunt, sed consolantur, admonent et exsuscitant sese, ut in omnibus afflictionibus et periculis ad Deum confugiant, eique confidant, tanquam vero et unico auxiliatori et salvatori, qui nunquam deserit populum suum, persecutionem patientem propter nomen et verbum suum. Nam certum est, populum pietatis studiosum et amantem verbi semper obnoxium esse multis malis, quibus a diabolo et mundo premitur.

Hincque appellatur haec cantio Canticum Canticorum *), quia de rebus summis ac maximis agit, nempe de magistratibus divinitus ordinatis, seu de populo Dei, non de privata aliqua historia, sicut aliae cantiones in sacris literis, sed de toto ac durabili aliquo regno seu populo, in quo Deus assidue multa et ingentia miracula edit ac potentiam suam ostendit, conservando et tuendo illum adversus omnes insultus diaboli et mundi. Ad haec canit de his tantis rebus non vulgaribus verbis, quibus vulgo utuntur homines, sed magnificis et figuratis verbis illustrat et exornat res suas, ita ut vulgus eas audiens intelligat longe diversum quiddam agi **). Sicut enim reges et principes solent, meditantur et canunt amatoria carmina, quae vulgus accipit de sponsa aut amica cantata, cum tamen politiae et populi sui statum his depingant,

*) Cur appelletur Canticum Canticorum. **) Qua forma orationis sit usus Salomon in hoc cantico.

quemadmodum Theuerdanck fecit, qui Maximiliano sponsam Ehrenreich conjungit, aut si de venationibus loquuntur, significare volunt hoc sermone hostem fusum ac fugatum, ac se victoria potitos esse, ut cum dicunt, aper est confossus, fera capta, et id genus alia.

Ad eundem modum fecit Salomon in hoc suo cantico, utitur magnificis et rege tanto dignis verbis in rebus suis describendis: constituit Deum sponsum, et populum suum sponsam *), atque ita canit, quantopere Deus populum illum diligat, quot et quantis beneficiis eum afficiat et cumulet, denique ea benignitate et clementia eundem complectatur ac foveat, qua nullus unquam sponsus sponsam suam complexus est ac fovit. Orditur itaque ac loquitur in persona totius populi, velut sponsa Dei, Osculatur me.

IN CANTICA CANTICORUM BREVIS ET ADMODUM DILUCIDA ENARRATIO D. MARTINI LUTHERI.

Hunc librum suscepimus enarrandum **), non studio ostentandae eruditionis, sicut quidam qui omnem operam ponunt in obscuros libros, quod scilicet et ad laudem ingenii faciat, ausum esse ea attingere, quae alii propter obscuritatem fugiunt, et in obscuris cuique liberum sit divinare ac spe-

---

*) Deus sponsus, ecclesia sponsa. **) Cur hunc librum enarrandum susceperit.

culationibus seu propriis cogitationibus indulgere, sed ut, repulsis ineptis opinionibus, quibus hactenus libellus hic obscuratus est, aliam commodiorem sententiam ostenderemus, utilem ad vitam et ad beneficia Dei recte inspicienda.

Scimus enim hunc totius scripturae esse finem*), ut doceat, arguat, emendet, ac ad justitiam instituat, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum, sicut Paulus dicit 2. Timoth. 3**). Hunc finem qui non respiciunt, etsi opinionem eruditionis divinationibus suis apud imperitos comparant, tamen verum succum scripturae non norunt. Nec dissimilis ea eruditio est corporibus, quae hydrope infecta sunt; ea tumore immodico inflata speciem succi habent, sed qui totus corruptus et vitiosus est. Quare nos referimus inter enarrandum cogitationes nostras eo, ut hic quoque liber tum doctrina ad vitam utili, tum consolationibus nos erudiat.

Neque enim unquam assentiemur iis, qui putant esse amatorium carmen de filia Pharaonis a Salomone adamata; neque hoc placet, ut exponamus de conjunctione Dei et Synagogae, aut sicut tropologistae de anima fideli***). Ex his enim sententiis quid quaeso fructus potest percipi? Etsi igitur in tanta scriptorum varietate hic liber adhuc in obscuro sit positus, nos tamen insistentes novam viam a summa sententiae non aberrabimus, etsi alicubi fortasse in partibus errare possumus. Mea igitur sententia haec est.

---

*) Finis scripturae, etc. **) 2. Tim. 3. ***) Ineptae aliorum enarrationes reprehensae.

Exstant tres libri Salomonis *) in scriptura sancta. Primus, Proverbiorum **), maxima ex parte est oeconomicus, et communia vitae hujus ac morum praecepta proponit, non eo modo, quo gentilium philosophi, sed ubique aspersa graviore doctrina de fide et timore Dei, quam gentes non viderunt. Secundus liber, Ecclesiastes ***), est politicus, qui non in genere solum omnes, sed magistratum maxime docet, ut scilicet timeat Deum is, qui aliis praeest, et strenue faciat ea, quae prae manibus sunt, neque se vel rei difficultate, vel ingratitudine hominum frangi sinat, quo minus suum officium faciat. Tertius est praesens liber, qui inscribitur Canticum Canticorum ****). Is proprie ad Ecclesiasten pertinet. Est enim encomium politiae, quae temporibus Salomonis in pulcherrima pace floruit. Quemadmodum enim in sacra scriptura qui scripserunt cantica, de rebus a se gestis ea scripserunt, sic Salomon per hoc poëma nobis suam politiam commendat, et quasi encomium pacis et praesentis status reipublicae instituit, in quo gratias Deo agit pro summo illo beneficio, pro externa pace, in aliorum exemplum, ut ipsi quoque sic discant Deo gratias agere, agnoscere beneficia summa, et orare, si quid minus recte in imperio acciderit, ut corrigatur.

*) Libri Salomonis tres. **) Argumentum Proverbiorum Salomonis. ***) Arg. Ecclesiastae. ****) Arg. Cantici Canticorum.

Caput primum.

Canticum Canticorum:

Habet autem nomen vel a materia, quod de maximo omnium humanorum operum, de politia scilicet, agat, vel a phrasi, quod grandi orationis genere sit scriptum. Est enim omnino figuratum poëma, figurae autem grandem orationem efficiunt.

Osculatur me.

Loquitur pro more illius populi. Apud nos minus honesta oscula habentur. Sunt autem oscula amoris et favoris signa. Sic igitur dicit: Osculatur me Deus, id est, favet huic politiae, osculatur eam, omni genere beneficiorum et amoris eam prosequitur *).

Est autem haec fidei vox, pronuntiare regnum, quod in speciem varie affligebatur, Deo curae esse, a Deo amari, diligi. In specie non apparet, quod osculetur synagogam, sed quod laceret potius et abominetur. Quod autem addit,

Osculo oris sui,

Significat, quod Deus hunc populum suo verbo dignetur. Atque hic quidem thesaurus ille est **), qui merito primus in politia jactatur, sine quo politia consistere diutius non potest. Jactat hoc donum hujus populi Paulus quoque in Romanis cap. 3: Sunt illis credita oracula Dei. Item Psal. 147:

*) Laudat politiam suam quod habeat verbum Dei.
**) Praecipuus politiae thesaurus: verbum etc.

Qui annuntiat verbum suum Jacob etc. Non fecit taliter omni nationi. Verbum enim est, quod pios ab impiis discernit. Per verbum quoque fit, ut sentiamus omnia, quae habemus, sive in politia, sive in oeconomia, esse dona Dei et mera divinae voluntatis et favoris erga nos signa. Reliqui licet abundent omnibus bonis, non tamen ea dona Dei esse intelligunt. Non igitur potest fieri, quin iis in suam perniciem abutantur.

Tua ubera jucundiora sunt vino.

Ubera *) pertinent ad doctrinam, qua aluntur animi, ut fiat perfectus homo ad omne opus bonum. Eam comparat vino, cui sacra scriptura tribuit, quod laetificet cor. Ponitur igitur per metaphoram vinum **) pro omnibus mundi deliciis et voluptatibus. Et est haec quasi excellentis fidei vox, quod dicit: Ego praefero verbum tuum omnibus mundi voluptatibus, sunt enim omnia referenda ad verbum.

Nomen enim tuum oleum effusum est.

Sunt valde significantes figurae et insignes. Nomen tuum ***), id est, cognitio tui est sicut oleum, nam fundit odorem gratum et per verbum latius spargitur. Neque est hoc beneficium verbi in angulo, sed invulgatur per totam meam ditionem, et spargit odorem in vicinos quoque populos, sicut unguentum effusum.

Ut odorentur optima balsama tua.

Id est, ubi verbum tuum est, ibi sentiuntur

---

*) Ubera. **) Vinum. ***) Fructus verbi.

beneficia tua. Pii enim sciunt per verbum, quod donis Dei fruantur et abundent. Quod si ea auferantur, sciunt se tentari a Deo, et patienter crucem ferunt.

Ideo virgines te diligunt.

Est ebraismus, quod civitates appellantur matres et filiae *); virginem autem Hierusalem vocat. Est igitur sententia: per verbum tuum fit, ut his tantis beneficiis allecti te diligant et ament, qui hinc inde in meo regno pii homines sunt.

Hactenus commendavit politiam suam, propterea quod verbum Dei habeat. Impie igitur a multis nunc externum verbum contemnitur, qui spiritum jactant, citra verbum vocale, per diabolicas revelationes. Et tamen nec quid spiritus, nec quid verbum sit norunt.

Trahe me post te.

Scire et posse duo sunt. Quando igitur verbum habemus, non statim possumus illud sequi, sed retrahunt a verbo caro nostra, mundus et Satan, subjicit igitur jam orationem **): Dedisti verbum, pro quo tibi gratias ago. Nunc fac, ut etiam faciamus, quae verbum docet, et sequamur id in vita nostra.

Nullum est vitae genus, quod non sua incommoda habeat. Duc uxorem, statim videbis malorum pelagus, invenies quae in uxore, quae in liberis displiceant; cura quoque ventris exercebit te. Sic

---

*) Ebraico tropo appellantur civitates matres et filiae.
**) Oratio.

qui in imperio sunt, plurima mala sentiunt, nusquam enim satan cessat. Sola igitur oratio restat, qua difficultates et scopulos illos, in quos impingimus, superemus. Deus enim ideo nos tentat his malis *), ut ostendatur gloria verbi et magnificetur virtus divina in infirmitate, alioqui non erat locus ostendendae gloriae et misericordiae suae.

Et curremus.

Est emphaticum, non dicit ambulabimus, sed curremus. Si tu afflaveris spiritu tuo **), libenter agam principem, doctorem, maritum, discipulum etc. Si non afflaveris, nihil quisquam, quantumvis magno studio et cura, promovebit, praesertim in politia. Sicut videmus summorum hominum sapientia eversas, non adjutas florentissimas respublicas esse.

Rex introduxit me in conclave suum.

Alludit ad mores sponsi et sponsae, et figurate ostendit exauditam orationem esse ***). Significat enim summam benevolentiam Dei erga nos. Deus, inquit, in illis malis, quae in republica sentio, consolatur me, ostendit se volentem et faventem. Sicut cum sponsus sponsam in conclave ducit, non facit illud odio sponsae. Sic exprimit summum illum affectum, quem Deus erga orantes habet, quod exaudiat, consoletur, foveat, augeat donis et virtutibus suis, ut unusquisque commodius suum officium facere possit.

---

*) Deus tentat nos in bonum nostrum. **) Deo aspirante omnia succedunt. ***) Orationem sequitur exauditio.

Nunc exsultabimus et laetabimur in te.

Exauditam orationem sequitur gratiarum actio *). Exsultabo jam, quod non deseris me, sed suscipis me in misericordiis tuis.

Est emphaticum, quod dicit in te, quasi dicat: extra tuum solatium et auxilium nihil sentitur, nisi labores, molestiae, impatientia, moerores, luctus etc.

Memores uberum tuorum plus quam vini.

Pertinet ad gratiarum actionem, id est, erimus grati, commemorabimus memoriam tuam, quam nos ames, siquidem ubera tua nobis donas. Memoria **) enim significat praedicare, laudare, agere gratias. Vinum ***), sicut supra, vocat omnia corporalia et carnalia gaudia.

Recti diligunt te.

Curvi ****), qui in suum commodum sunt flexi, sic volunt vivere, ut nulla incommoda sentiant; si quae autem incidunt, offenduntur et murmurant cum summa impatientia. Contra recti †) cum sentiunt difficultates et incommoda, patienter ea ferunt et orant. Liberati igitur agnoscunt summam Dei erga se benevolentiam et amorem, sicque impensius amant Deum. Jam igitur Salomon instituit concionem ††) ad docendos curvos illos, ut eodem modo ipsi quoque discant praesentia mala superare †††), ferendo scilicet et orando. Sic enim

*) Exauditionem sequitur gratiarum actio. **) Memoria. ***) Vinum. ****) Curvi. †) Recti. ††) Jam concionem instituit. †††) Ratio superandorum malorum.

solent tentati et exauditi, alios quoque docent et instituunt, ut Psalmus testatur 116: Credidi, propter quod locutus sum.

De processu et ordine totius libri.

Porro hic ordo et processus hujus Cantici est, quod alternat consolationes, querimonias, orationes, item exhortationes. Sicut enim in republica legibus instituta agitur, imo sicut haec vita nostra vivitur, sic etiam ipse in hoc libro agit, et ideam quandam *) reipublicae et communis vitae proponit, ubi afflictionem consolatio, consolationem alia afflictio per vices, sicut nox diem, sequitur. Sic in rebus publicis semper novae procellae, novi motus et terrores incidunt, quibus discussis non datur diutius quies, sed aliae statim turbae et calamitates sequuntur. Qui versantur in rebuspublicis testes hujus rei erunt. Sic Davidem **) principio excipiebat defectio populi, vix compositum illud malum erat, et ecce aliud tanto gravius, quanto minus exspectabatur, incidit. Dilectissimus filius Absalom infesta arma contra patrem movet, nec satis fuit pepulisse patrem regno, regias concubinas et uxores quoque patris constuprat. Sic respublica ***) est ceu periculosa in procelloso mari navigatio.

Quare Salomon subinde consolationes et exhortationes repetit ad animandos praesidum animos, ne tantis difficultatibus fracti resiliant aut desperent, sed discant ad hunc modum oratione se erigere, et

*) Idea reipublicae et communis vitae proposita.
) Davidis exemplum. *) Respublica.

sperare salutem. Quae ubi contigerit, rursus sic parandus est animus, ne secuturis malis succumbat. Quemadmodum enim juga montium valles, et noctem dies, sic perpetuis vicibus afflictionem liberatio, liberationem rursus aliud malum excipit. Quem canonem si quis observaverit *), is bonam partem hujus libri intelligit. Post, si quis id quoque volet, nullus labor est allegorias comminisci.

Nigra sum, sed desiderabilis, filiae Hierusalem.

Monui antea, instituere eum post gratiarum actionem concionem.

Filiae Hierusalem.

Id est, vos politiae et circumjacentia oppida, nolite offendi, si minus omnia succedant.

Sum nigra.

Quamquam sim politia, divinitus instituta et ornata verbo Dei, tamen in speciem miserrima esse videor. Nusquam succedit, paucissimi sunt, qui pacem publicam ament et tueantur. Videor non politia, sed quaedam seditiosorum hominum colluvies esse. Nolite **) hac forma offendi, figite oculos non in nigredinem, sed in osculum, quod mihi Deus offert, et tum videbitis me formosam et amabilem esse. Quamquam enim foris varie sim vexata, tamen propter verbum et fidem sum desiderabilis. Sic ecclesia ***) quoque in speciem non desidera-

*) Canon observandus etc. **) Exhortatio, ne misera ecclesiae specie offendamur. ***) Ecclesia in speciem lacerata, etc.

bilis, sed lacerata esse videtur, et misere afflicta, omniumque opprobriis exposita. Est autem ea consolatio nostra, quod nostra salus in verbo et in fide, non in externa specie est sita.

Sicut tabernacula Kedar, et sicut tabernacula Salomonis.

Tabernacula Kedar *), id est, Arabum, sunt vilia et deformia, contra tabernacula Salomonis sunt regia et pulcherrima. Puto igitur sic sententiam distribuendam: Nigra sum, sicut tabernacula Kedar. Videor esse ceu multitudo quaedam Arabum, qui nullam politiam habent. Multi enim sunt in populo meo, qui non credant verbo, multi quoque, qui magistratui non obsequantur. Apparet igitur confusio potius hominum, quam bene instructa politia esse. Sed nihilominus sum desiderabilis, sicut tabernacula Salomonis. Si quis internam speciem consideret, videbit tamen multos in illa politia pios homines, qui obediunt et sunt bona ac fidelia politiae membra etc.

Nolite me considerare, quod fusca sum.

Pergit exhortari contra scandala, ac monet: Noli me ea parte intueri, qua sum deformis, sed fige oculos in formam et venustatem meam, contemplare virtutes, non vitia mea. Porro qui hoc novit, ille demum se omnium maximam artem didicisse et nosse sciat. Sic enim sumus nati, ut plus uno aliquo vitio moveamur, quam reliquis virtutibus omnibus. Sic hodie qui sapientissimi in mundo

*) Tabernacula Kedar.

judicantur, offenduntur multis malis, quae praeter meritum evangelio imputant. Rursus quanta bona evangelii *) beneficio, tum privatim in hominum animis et conscientiis, tum publice in politia et oeconomia acceperimus, nemo vel paucissimi aestimant. Quod enim quaeso vitae genus fuit ante evangelii revelationem, de quo vere potuerint judicare homines? Non maritus, non uxor, non liberi, non magistratus, non cives, non servi, non ancillae, norant se in tali vitae genere constitutos, quod Deo probaretur. Ideo ad monachorum opera confugiebant omnes.

Similiter ante datam evangelii lucem **), quaenam ars recte est tradita? cujus artis usus recte ostensus aut cognitus fuit? Clarum id est in puerilibus disciplinis. Nec grammaticae, neque dialecticae, nec rhetoricae usus patebat, tantum aberat, ut recte doceri possent. Quod si haec in levibus his artibus acciderunt, quanto magis acciderunt in gravioribus artibus. De theologia res ipsa loquitur; juris professores, etsi artem et artis usum aliquo modo nossent, tamen quod omnium pestilentissimum erat, paucissimi credebant, se in tali vitae genere esse, quod Deo probaretur; idem de medicis licet dicere. Haec tanta incommoda nemo tum considerabat, nunc praesentium bonorum obliti, in mala tantum respiciunt ingratissimi homines ***). Meretur autem summa haec ingratitudo, ne tantorum bonorum aspectu frui possimus, sicut scriptum est ****): Non

---

*) Quae bona per evangelium contigerunt nobis etc. **) Status rerum ante revelatum evangelium. ***) Ingratitudo. ****) 1. Johan. 3.

videbit impius gloriam Dei. Pii autem et tanta beneficia Dei vident, et grati pro iis sunt.

Porro debet hic Canon *) etiam in privata vita diligentissime observari. Si quis nigredinem ex oculis seponat, videbit mundum repletum misericordia divina, sicut est in Psal. 107**): Quis sapiens et custodiet haec, et misericordias domini intelliget ***). Sic in quotidiana hominum conversatione videbis nullum hominem tam esse malum, quin multas et innumerabiles dotes habeat. Assuefaciendus igitur est animus, ut magis virtutes in singulis admiretur, quam vitiis, si qua sunt, offendatur ****). Habet aliquis vitia, habet idem suas quoque virtutes necesse est; neque enim omnibus instrumentis, quae a natura accepit, abuti potest. Profuerit autem illa ratio ad conservandam cordis pacem. Si enim in vitia tantum et incommoda, quae quotidie incidunt, oculos figas, necesse est animum impatientia et odio tentari. Cum igitur illa mala, et res illae mutari non possint, muteris tu, et aliam induas opinionem, et retine liberum animum dissimulatis praesentibus incommodis. Sicut monet optima illa sententia, qua in Ecclesiaste saepe usi sumus: Mitte vadere sicut vadit, quando vult vadere sicut vadit. Praesentia autem commoda et beneficia tot tantaque sunt, ut pius homo facile prae illis malorum obliviscatur.

Quia decoloravit me sol.

Sol †) significat tribulationem, sicut indicat Christus in parabola de semine per solem adusto.

*) Canon observandus. **) Psal. 107. ***) Mundus misericordia Dei plenus. ****) Bona potius quam mala consideranda. †) Sol.

Item in Psal. 121*): Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Dicit igitur, nunc quaeso ulla nigredine ne offendimini, nolite mihi eam imputare, sol me denigravit; quasi dicat: ubicunque est verbum et divina ordinatio, ubicunque aliqua politiae est forma, ibi sol veniet et afferet nigredinem**). Hoc est, diabolus se opponet, ut videatur illud verbum, illa politia prorsus defectura. Sed nolite offendi, non praevalebit satan.

Matris meae filii mihi succensent.

Sic debet in politia agi, ut non solum multae tribulationes sint, sed ut etiam filii insaniant contra matrem, hoc est, politiam, contra mandatum et verbum Dei***). Qui igitur in imperio est, sciat se constitutum super seditiosos cives, quibus nihil deest, nisi occasio commoda movendae seditionis, ut qui debebant in administratione esse auxilio, illi hoc unicum agunt, quomodo eam evertant et diripiant. Experti sunt hoc David, Romani, et hodie credo hanc unicam omnium bonorum principum esse querelam****).

Posita sum custos super vineas. Verum vineam meam, quam habebam, non custodivi.

Est gravis querimonia †). Fatetur se jus, potestatem, nomen regis habere, sed exsecutio penes alios est, inquit. Vinea ††) est populus. Super

*) Psal. 121. **) Verbum sequitur crux. ***) Ecclesiam et politias a filiis lacerari. ****) Vox bonorum principum. †) Gravis querela. ††) Vinea.

istum populum ego sum constitutus rex et princeps. Quid facio? Vineam meam non custodivi. Sic aperte fatetur, non posse humano consilio respublicas teneri, sed longe minorem esse omnem humanam sapientiam, quam quae ad tantam rem sustinendam sufficiat *). Ratio in promptu est, sint quantumvis boni, pii, sapientes principes, non tamen mederi omnibus vitiis possunt. Tanta mundi est malitia; et illi ipsi, qui in vinea sunt, se opponunt et resistunt, ac nolunt regi. Quid igitur faciendum est? Num ob tantas difficultates **) et molestias respublicae deserendae? Non. Sed quantum potest, debet illa nigredo ab oculis removeri, et occupari animus meditatione beneficiorum Dei, quae in verbo promittit et exhibet quoque; deinde exemplo hujus regis ad orationem confugiendum est.

Indica mihi tu, quem diligit anima mea.

Haec est oratio ***), in qua fatetur, sibi deesse sapientiam et vires bene administrandae reipublicae. Sic dux Saxoniae Fridericus ad Staupitium dixit: Minus minusque se scire, quomodo administret ducatum suum, adeo neminem esse, cui tuto aliquid committere possit. Sic Cicero ****) post bellum civile hanc vocem indignationis et desperationis plenissimam edidit: O me frustra sapientem putatum. Pii ergo principes exemplo Salomonis orent et dicant: O Deus, creator et guber-

*) Humano consilio respublicae non reguntur. **) Quid in difficultatibus faciendum. ***) A Domino petendum, ut sufficiat quae gubernationi sunt necessaria. ****) Ciceronis vox.

nator omnium, quem anima mea diligit, indica quo modo vinea mihi commissa sit custodienda etc.

Ubi pascas, ubi quiescas in meridie.

Destitutus sapientia et viribus suis exoptat Deum consortem regni. Ostende mihi, ubinam te inveniam, ut una mecum rempublicam administres. Ego quasi in nocte et atra caligine in politia versor, tu cubas in meridie, utinam mihi sic in meridie, id est, in summa pace liceret regere.

Ut quid ero sicut opertus juxta greges sodalium tuorum.

Opertura erat signum moeroris, sicut involutum caput apud Romanos. Orat igitur: Exime me his molestiis, tua ope minue curas, taedia et fastidia tua praesentia *).

Da animum, ne desperem, aut tantis difficultatibus succumbam, atque id juxta greges sodalium tuorum. Sum in insigni loco, in grege sodalium tuorum, sunt adhuc qui verbo et spiritu tuo regantur. Propter illos, quaeso, da successum et tranquillitatem. Sic in tantis difficultatibus ad orationem redit et ad verbum.

Si ignoras pulchrá inter mulieres.

Audivimus querelam, qua magistratus queritur de difficultate administrandi rempublicam, quia etiam filiae matris repugnant. Fingit **) igitur jam per-

*) Was hilfts, daß ich also umgehe, und zufriß mich mit Sorgen, die vergebens sind, Herr hilf du ꝛc. **) Consolatio.

sonam sponsi consolantis eos, qui tantas difficultates et molestias sentiunt, quasi dicat; Quereris de tua politia, cum nulla in toto orbe sit politia, quae cum tua conferri possit, adeo omnibus summis Dei donis abundat. Habes verbum Dei, prophetas, sanctos judices, sanctos reges. Hanc pulchritudinem et formam tuam ignoras? Sed sic fit, in tentatione *) omnium donorum obliviscimur, intenti in praesentem dolorem seu affectum. Tentatio enim adeo omnia absorbet, ut nihil nisi malum videas, sentias, cogites et exspectes. Etiam peritissimi sacrarum literarum, cum tentantur, opus habent eo, qui consolationem ex sacris literis afferat. Sic necesse est in tentatione, ut admoneamur eorum, quae data sunt nobis, sicut Paulus dicit 1. Corinth. 2. Jam quoque consilium addit:

Egredere in vestigiis ovium, et pasce cum hoedis tuis juxta tabernacula pastorum.

Non aliud tibi consulere possum, quam ut egrediaris **) et pascas oves tuas, quam ut exerceas administrationem tuam, nihil sollicitus de eo, quod hoedos quoque in grege tuo habeas, id est, malos, improbos, inobsequentes, seditiosos cives. Nihil morentur te mali, pascua enim propter oves sunt, et politia est instituta propter bonos principaliter. Sed quid est quod addit in vestigiis ovium? Nimirum hoc, ut intueatur exempla majorum suorum ***), qui fuerunt oves Dei, sanctos judices, reges, pro-

*) In tentatione obliviscimur bonorum etc. **) Id est ad exemplum tuorum majorum. ***) Erige te exemplis majorum tuorum.

phetas etc., ut, cum videat illos quoque varie tentatos, aequius praesentia incommoda ferat. Sic David in Psal. se consolatur *): Memor ero memorabilium tuorum. Sic nulla consolatio **), nullum solatium malorum est, quam verbum Dei. Quaecunque enim scripta sunt, inquit Paulus Rom. 15 ***), in nostram consolationem sunt scripta, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Christus cruci affixus, Joannes decollatus, Moses vicinus morti, cum jam sui eum lapidare vellent etc., consolantur nos, ut aequius feramus tantam mundi ingratitudinem, ut simplici animo nostrum faciamus officium, et nihil hoedos moremur.

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, mea amica.

Haec est amplificatio institutae consolationis ****). Sicut autem alia tempora belli, alia pacis sunt, sic quoque hanc amplificationem in duas partes distribuit. Haec prior pars ad tempus afflictionis et crucis referenda est. Videris tibi in tribulatione deserta et victa, ego autem te assimilavi equitatui meo, id est, in meo conspectu es ceu victrix cohors, quae ad dimicandum est instructa; sicut currus Pharaonis omnium potentissimi regis sunt. Puto ideo Pharaonis factam mentionem, quod is inter omnes, qui Judaeis noti erant, fuerit potentissimus rex.

Est consolatio fidei †), quae non sentitur, neque apparet, nam in suo conspectu Salomonis politia est ceu vermis. Quare? Quia impedita et

---

*) Psal. 76. **) Consolatio verbi. ***) Rom. 15. ****) Amplificatio consolationis. †) Consolatio fidei.

turbata malis et sensu malorum deserit verbum et non respicit sua dona. Si autem verbum videas, omnia sunt verissima. Est igitur amplissima promissio, quod Deus eam amicam suam vocat, sed non apparet, videtur in speciem potius deserta a Deo.

Pulchrae sunt genae tuae sicut inaures, et collum tuum sicut monilia.

Haec altera pars est amplificationis, quae pertinet ad tempus pacis*). Tum enim suppetit nobis verbum Dei, quod in tentatione amittitur, aut aegre retinetur, tum donis spiritus oblectamur, quae tempore crucis sensu malorum prorsus animo excidunt. Inaures vertimus propterea, quod illa ornamenta sint pulchro ordine inter se distincta et disposita. Nomen Ebraicum alioqui lineamenta, seu ordines significat. Porro inaures**) et torques sunt dona spiritus sancti in verbo. Ea ornant nostrum collum, id est, verbum est in publico usu, docetur, legitur, auditur, habetur ubique copia divinarum promissionum.

Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

Murenulas est idem verbum, quod ante inaures vertimus; significat autem hic ipsum ornatus augmentum***), quasi dicat: Augebimus tibi istum ornatum, et faciemus tibi ornamenta etiam aurea. Verbum crescet tibi, si id tractaveris. Est enim

*) Tempus pacis. **) Inaures. ***) De Verbi propagatione.

verbum *) talis thesaurus, qui tractando crescit et distribuendo, servando autem perit. Oportet ut sit in assiduo usu. Quo enim magis docetur, auditur, discitur, eo magis et clarius intelligitur. Erunt illa ornamenta non solum aurea, sed distincta punctis argenti seu vermiculata, id est, multiplex et varius verbi est usus **). Sic monet, ut se in verbo Dei et exemplis in verbo propositis exerceat, tum fore, ut videat se esse equitatum instructum, neque moretur hoedos, qui sunt in grege. Qui credit, ille videt et experitur haec. Qui non credit, illi tantae consolationes sunt ludus et jocus.

Adhuc rex est in accubitu suo.

Consolationem sequitur, quod politica illa persona consolationi credit, quae singularis fidei virtus est. Sic enim fere accidit, ut calamitate et praesenti dolore victus animus non possit admittere verbum, quod diversa a sensu promittit. Fides***) tamen quantumvis afflicta respicit ad verbum et verbo erigitur. Sic in hoc loco dicitur: Adhuc rex est in accubitu suo, quasi dicat: In tentatione sentiebam, Deum longissime a me recessisse. Quare etiam postulabam, ut mihi indicaret, ubinam pasceret. Verum non abiit, est praesens ****) atque in convivio accumbit, id est, favet, amat, tuetur, servat. Non cogitat quomodo me perdat, affligat, excruciet, sicut ante in tentatione sentiebam.

Nardus mea dedit odorem suum.

Mea oratio ad eum perlata est, cum molles

---

*) Verbi natura. **) Varius usus verbi. ***) Fides.
****) Dominus est prope omnibus invocantibus eum.

essent aditus, et adhuc in convivio accumberet. Quare etiam ei placuit, delectavit eum, et exaudita est *).

Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi. Inter ubera mea commoratur.

Addit jam commendationem consolationis **), et amplificat consolationem suavibus figuris. Non est procul Deus, sed in medio nostrum versatur, ac in sinu et complexibus meis est, sicut fasciculus myrrhae, id est, favet, protegit, consolatur etc. In summa: Sic erga me est affectus, sicut sponsus erga sponsam. Notandum autem, quod haec non sint ita, ut palpari possint, sed manet haec consolatio in figura odoris. Odore tantum sentiuntur ista, ut significetur mysterium fidei, quod scilicet Deus versatur ***) in populo suo per odorem, id est, per verbum et nomen suum. Magna fides sit oportet, quae haec de Deo credere potest, quod sit inter ubera, id est, proximus et intimus nobis, non iratus etc.

Botrus Copher dilectus meus mihi, in vineis Engeddi.

Est commendatio figurata consolationis, quod Deus amet, faveat, protegat etc. sicut supra. Botrum Copher puto esse balsamum, idque hac ratione, quia addit in vineis Engeddi, quae civitas est in tribu Juda, ad mare mortuum, ubi sunt horti Balsami. Sic igitur existimo, ipsam arborem anti-

---

*) Exaudita oratio. **) Commendatio consolationis. ***) Quomodo Deus inter suos versetur.

quitus Copher *) appellatam, Balsami autem nomen recentius esse, a pretio inditum, quod omnia reliqua unguenta Balsamum longe superet.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra,

A tentatione; ubi consolatio verbi animum occupaverit, tum non solum sentimus, quod amet nos et faveat nobis Deus, verum hoc etiam sentimus, nos placere Deo, nos Deo gratos esse, Deum nostri curam agere. Sic dant mutuum testimonium conscientia et spiritus **). Conscientia sentit se placere Deo, quare laudat Deum. Hanc fidem approbat spiritus sanctus et vicissim nos commendat. Id quod hoc loco vides expressum.

Oculi tui oculi columbarum.

Columba ***) habet simplicitatis laudem. Commendat igitur hic simplicitatem fidei, quod in tribulatione non variat consilia, sicut illi faciunt, qui sunt sine verbo, qui non columbinos, sed meretriceos oculos habent; jam in haec, jam in illa consilia vertuntur. Sicut hoc toto tempore vidimus in evangelii hostibus. Fides autem uno eodemque simplici prospectu in promissionibus Dei haeret, et bene sperat de sua salute in periculis maximis.

Ecce tu quoque pulcher es, amice mi, et decorus.

Est abundantia consolationis. Spiritus sanctus

---

*) Copher. Balsamum. **) Mutuum testimonium conscientiae et spiritus. ***) Columba. Fides.

dat testimonium in corde*), ut certo sentiamus nos placere Deo et pulchros esse. Fit igitur vicissim, ut nos quoque confiteamur, Deum esse pulchrum, id est, placere nobis etc. Haec autem pulchritudo non apparet in tempore tribulationis.

Lectulus noster floridus, ligna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

Sunt omnia allegorica**), quibus significat laetitiam, quam ex consolatione hausit. In omni politia sic fit, quod ad quaecunque pericula videtur dilapsura et peritura. Eum affectum Salomon hic indicat, quasi dicat: Putabam ante futurum, ut totum regnum corrueret. Videbatur non regnum, non politia, sed vetustum aliquod aedificium esse, quod ad quosvis ventorum impetus dilaberetur. Verum nunc post acceptam consolationem video constabilitam meam politiam, perinde ac domum ex cedro exstructam, ex materia, quae non corrumpitur, sed longissime durat. Video quoque sic ornatam, ut floridum lectulum. Sic, quemadmodum in tentatione nullus tentationis finis apparet, ita credentibus consolationi perpetuum gaudium fore videtur, sicut in Psalm. 30***) dicit: Dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum.

Caput secundum.

Primum caput****) habuit gratiarum actionem pro constituto et egregie ornato regno; item conso-

---

*) Rom. 8. **) Amplificatio consolationis. ***) Psal. 30. ****) Summa 1. Cap.

lationem, qua magistratus in civilibus periculis et incommodis uti debet, cum videt nusquam succedere, et nonnunquam optima consilia pessime cadere. Jubet enim nos exire, et videre exempla patrum, nec tantum intueri in mala, quibus premimur, sed etiam considerare bona nostra, quibus divinitus ornati sumus etc.

In hoc secundo capite *) sequitur descriptio alterius cujusdam tentationis, quod praeter ista domestica mala etiam acerbissima mundi odia populus iste sustinuit. Sicut enim in primo capite docuit, ut viri simus, qui domestica incommoda vincamus, ita hic docet, quomodo contra mundi odium pius magistratus se munire debeat.

Ego flos campi et lilium convallium.

Haec querela est **), in qua proponit periculum; nam ad antithesin respicit. Flores, qui intra muros et parietes nascuntur, tuti sunt ab hominum et bestiarum insultu, sed nos, inquit, sumus sicut rosa in aperto agro, ad quam cuique patet aditus ***). Non nego me florem esse, agnosco donum politiae, quod Deus mihi donavit, sed utinam flos iste sepem habeat. Quis enim pericula omnia enumeraverit, quibus sumus expositi in medio gentium, ceu in aperto agro habitantes.

Ad hunc modum magistratum ****) possumus vocare florem campi, ob pericula infinita, quibus est expositus. Lilium convallium vocat florem in inferiore planitie, fortasse ut distinguat inter magi-

*) Summa 2. Capit. **) Querela de periculis. ***) Flos campi. ****) Magistratus flos campi.

stratum superiorem et inferiorem. Nam quod florum diversa genera sunt, potest quoque referri ad diversitatem donorum in bona republica. Ea hanc consolationem habet, quod est rosa. Etsi autem coram mundo appareat, quasi sit sine sepe et incustodita, tamen quamdiu verbum Dei et cultum retinet, est circumdata et septa quadrigis igneis, quos Heliseus *) ostendebat ministro. Sicut Daniel **) quoque ostendit rerumpublicarum custodes esse angelos. Sed haec praesidia tantum fideles cernunt.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Hic personae mutatio est, Ebraeis usitatissima. Superiora enim in populi persona dicta sunt, nunc Dominus loquitur, quasi dicat: Verum dicis, quod sis flos agri. Mihi enim flos es, etiamsi videaris esse incustoditus flos, sed audi aliquid amplius: Es vere flos inter spinas. Sic enim te judico esse florem, ut reliquas respublicas, regna reliqua omnia judicem nihil nisi spinas esse, natas et paratas ad incendium. Ad hunc modum si intelligamus hanc particulam, commode subjicitur querelae consolatio ***). Sed haec consolatio est fidei tantum. Nam si speciem sequaris, gentium regna ****), quia quieta sunt et fortunata, opibus ac claris victoriis ornata, non spinae, sed pulcherrimae rosae esse videntur. Econtra politia, in qua Ecclesia

*) 4. Reg. 6. **) Daniel. 10. ***) Consolatio.
****) Regna gentium videntur rosae esse, politiae, in qua ecclesia Dei est, spinae.

est, quia varie premitur, videtur in oculis Dei negligi, sicut spinae. Quare fide statuendum est secundum hanc Dei sententiam, etiam cum contrarium apparet, alias gentes spinas, hunc autem populum, quantumcunque coram mundo oppressum, rosam esse.

Quidam sic interpretantur, ut non sit consolatio, sed confirmatio prioris querelae. Non solum es flos agri, sed es sicut rosa inter spinas, quae undique pungitur, ne emergat. Sed mihi consolatio magis placet. Filias appellat communi tropo civitates et populos vicinos gentium.

Sicut malus inter arbores silvestres, sic dilectus meus.

Haec dicuntur in persona populi. Est enim totus liber *) quasi colloquium inter Deum et populum suum, seu inter conscientiam et verbum. Sententia autem haec est: Sicut tu Deus me habes unicam rosam, sic ego econtra nullum volo amplecti, colere et timere Deum, quam te. Etsi enim multas speciosas arbores videam, tamen sola malus **) est, quae mihi placet. Malum autem ideo potissimum nominat, quia haec arbor inter fructiferas primam laudem habet.

Recte igitur respondent haec inter se. Pius populus ***) est Deo rosa, reddimus ei flores, dum praedicamus, oramus, confitemur etc. Econtra ipse ****) est suo populo fructifica malus, ex qua pascitur et omnia commoda habet. Ceteri dii †),

---

*) Hic liber quasi colloquium inter Deum et ecclesiam. **) Malus. ***) Pius populus Deo rosa est. ****) Deus est populo suo malus. †) Gentium dii sunt sterilia ligna etc.

si qui coluntur aut finguntur ab hominibus, sunt quasi sterilia ligna, quae non ad pastum, sed ad ignem pertinent. Dei autem est prodesse, alere, defendere, gubernare, ignoscere, et tandem salvare.

Inter filios.

Simpliciter expone: Inter populos, aut inter ea, quae coluntur ab hominibus. Sicut Ebraei nomine filii *) latissime utuntur.

Sub umbra illius, quem desideravi, sedi.

Umbra **) significat defensionem, et ideo haec figura aptior est, quia defensio piorum videtur plane nulla esse, cum tamen res ostendat esse certissimam et firmissimam, non solum contra mundi pericula, sed etiam contra portas inferorum. Addit autem hic causam, cur nullam arborem malit, quam malum ***), quia utrumque praestat mihi Deus meus, defendit et alit. Defensio certa et tutissima est, ideo libenter sedeo sub hac arbore. Significat autem verbum sedendi perseverantiam. Qui hanc malum non habent, sicut gentes, hi incerti huc illuc errant, et omnibus satanae insidiis patent.

Et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Hoc alterum beneficium est, quod de malo hac praedicat, nempe, quod non solum defenditur politia pii populi a Deo suo, sed etiam quod omnis generis alia beneficia ab eo accipit. Haec tum magna sunt, cum applicantur ad beneficium verbi ****),

---

*) Nomen filii. **) Umbra. Defensio piorum. ***) Cur malum elegerit. ****) Beneficia verbi.

in quo vera alimonia consistit. Quod scriptura non solum consolationes promissionum suggerit, sed etiam varia exempla et historias, quibus fides in Deum alitur, et confirmatur. Impii nihil sub arboribus suis exspectare possunt, quam arida folia, sed nostra solatia ejusmodi sunt, ut etiam mortem subire non sit acerbum.

Ad hunc modum consolatur se contra pericula, contra odium et iras hominum, favore Dei et praedicatione gratiae Dei, quae summa ars est in omnibus tentationibus. Nunc igitur hunc sensum faventis gratiae amplificabit multis verbis, neque in re difficultas aliqua est, tropi aliquanto duriores sunt, et requirunt integrum et otiosum interpretem. Ego vero sic distrahor negotiis et curis, ut fere nihil otii relinquatur ad colligendum animum, et tamen via facienda est aliis, ut inveniam aptiora.

Deducit me in cellam vinariam.

Non solum defendit et alit, sed etiam implet me gaudio. Vinum *) enim laetificat cor hominis. Porro laetitia haec est sensus gratiae divinae, ad quem revelatio verbi nos revocat. Quidam referunt ad benedictionem temporalem.

Vexillum ejus erga me caritas.

Milites in castris ex vexillorum ratione ordinantur. Sic, inquit, agnosco meum vexillum **) sub hoc Deo, quod est caritas, ad hanc sum ordinata. Si quis hic differentiam quaerit, potest superiora referre ad conscientiam et pacem cordis,

---

*) Vinum. **) Beneficia eorum, qui verbum habent.

seu ad beneficia spiritualia. Hoc autem potest referre ad beneficia externa et politica, quae Deus iis confert, qui verbum suum habent et id sequuntur. Sicut Paulus dicit *): Pietas habet promissiones hujus vitae et futurae. Item in Psal. 37: Saturabuntur justi in die famis.

Est autem hoc gratitudinis **), etiam haec corporalia beneficia Deo accepta ferre, sicut Salomon hic facit. Nam etsi alia quoque regna habeant opes, potentiam etc., tamen sui populi in eo melior conditio est, quod statuit se eadem habere Dei benignitate. Sic nos quoque debemus oculos, aures, et omnia alia, quae habemus, agnoscere ceu summa dona et certissima testimonia benevolentiae Dei erga nos. Ideo enim militari figura Salomon utitur, et haec beneficia interpretatur vexillum seu signum esse, ad quod Deus populum suum revocet et colligat. Aequiore autem animo postea ferimus, cum iterum auferuntur ista, quod sentimus ea a Deo donata esse et tantum concessa ad usum, non ad aeternam possessionem. Nunc ad populum vertitur.

Fulcite me floribus, stipate me malis.

Consolatus est se beneficiis Dei contra odium mundi, et praedicavit ea, nunc vertitur ad totum populum ***) et optat, ut idem secum faciant, ut discant agnoscere haec beneficia Dei et pro iis agere gratias. Hoc est, quod postulat afferri ab aliis quoque flores seu racemos et poma, et se sustentari ac refocillari.

*) 1. Tim. 4. **) Pii tantum referunt Deo accepta corporalia beneficia. ***) Exhortatio ad agnoscendum Dei beneficia etc.

Respicit autem ad scandalum*), quod mundus solet admirari magnificentiam et splendorem, quasi dicat: Offendimini, quod meum regnum videtur longe esse infra alia gentilium regum regna, sed quaeso videte, sub cujus umbra sedeam, et apparebit tenuitas nostra major esse omnium gentium potentia et opibus. Nolite igitur illos mirari, me potius laudate et agnoscite hoc Dei donum, quod nos habemus. Sic et me et alios sustentabitis et recreabitis, quos etiam nonnunquam movet scandalum infirmitatis.

Quidam exponunt flores pro ministris, qui intelligunt et ornant ista dona Dei, sicut patriarchae et prophetae hoc beneficium regni constituti inter Judaeos summis laudibus ornant. Sed mihi prior sententia visa est esse simplicior.

Quia amore langueo.

Sumpta est similitudo ab amore juvenili**), cui regnum tribuitur prae aliis affectibus. Hoc ideo, inquit, peto, quia totus amore Dei mei accensus sum, ex illa consideratione beneficiorum ejus. Ideo tantopere opto ab omnibus ea intelligi, et pro iis agi gratias.

Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Est haec quoque similitudo sumpta ab amore sponsi***) et sponsae, qui sanctus et licitus est. Ideo eum Satan odit et impedire conatur, tanquam fontem sobolis et educationis.

---

*) Scandalum infirmitatis. **) Amor juvenilis. ***) Amor sponsi.

Comprehendit autem hic duo praecipua beneficia*) hujus populi, regnum seu politiam, quam laevam vocat, et sacerdotium seu cultum Dei, quem dexteram vocat. Hi amplexus, inquit, faciunt, ut ferarum et spinarum ictus haec rosa sufferre possit, quia tota est in amplexu Dei, sive ecclesiam, sive regnum inspicias; utrimque enim est verbum Dei. Hanc cognitionem, imo fidem hanc libenter excitaret Salomon in aliis quoque.

Adjuro vos, filiae Hierusalem, per capreas cervosque camporum.

Haec sponsi vox est, qua respondet sponsae, ut eam consoletur in fide hac.

Sed priusquam sententiam explicemus, ad hanc quaestionem respondendum est: cur juret per creaturas, cum id videatur esse prohibitum Matth. 5, ubi Christus prohibet, nec per coelum, nec per caput esse jurandum etc.**) Sed quae ejus loci sententia sit, satis ostendimus alibi.

Nunc satis est, quod idem locus testatur, hunc populi hujus fuisse morem, ut juraret per creaturas***). Sic in libris regum nota est juramenti forma: vivat rex, item, vivat anima tua; et Jacob jurat per timorem patris sui. Sic nos juramus per fidem nostram. Sic primum exempla ostendunt, non simpliciter prohiberi, ne juretur. Deinde etiam ratio satis firma est, recte jurari etiam per creaturas, cum eas tanquam Dei signa producimus. Id enim non est ex creatura idolum facere.

---

*) Beneficia populi Judaici. **) An jurare liceat.
***) Judaei juraverunt per creaturas.

Nunc sententiam hujus loci explicabimus. Capreas et cervos *) vocat sanctos prophetas, duces et reges in hoc populo, qui expositi erant omnibus finitimis tanquam cervi in agro. Per majores vestros, fide et spiritu insignes, vos adjuro. Ac convenit similitudo. Recte enim per bestias simplices **) et omnium injuriis expositas sanctos homines in hoc populo pingit.

Ne suscitetis, neque evigilare faciatis amicam meam, donec ipsa velit.

Somnum ***) vocat, quod delectatur pius populus istis donis, qui est in amplexu Dei sui, et sentit favorem Dei. Hunc somnum, inquit, nolite ei excutere, sed manete tranquilli, ut diu possit frui hoc sensu.

Vox dilecti mei.

Haec sponsae vox est ****), qua significat se audivisse consolationem sui sponsi, et exhortationem ad suos, ut sint quieti, ne moveant turbas. Hujus exhortationis, inquit, certum fructum sentio, neque verbum est inefficax. Nam qui alioqui turbas daturi erant, verbo revocantur ad obedientiam et tranquillitatem.

Ecce venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum.

Hoc est, per verbum salit †) de civitate una

*) Capreae. Cervi. **) Bestiae simplices. ***) Somnus ecclesiae. ****) Vox sponsae. †) Verbi cursus.

in aliam, ut ubique sentiatur fructus ministerii inter homines. Similitudine hinnuli et capreae significat verbi cursum, quod fructus suos longissime et magna cum celeritate propagat.

En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

Hic iterum significat se ista omnia habere in fide *). Sic enim solet spiritus sanctus, cum magnifice praedicat dona Dei, ut intelligamus eum loqui, non de carnali consolatione, sed de gaudio conscientiae. Deum nemo vidit unquam, sed velamen nostrum est fides, ita ut certo habeamus ea, quae promittuntur, et tamen ea non videamus, nec sentiamus.

Quod igitur dixit saltare sponsum sicut hinnulum, de colle in collem, et ubique praesentem esse **), gubernare, et inspicere omnia, hoc jam refert ad fidem, quod vere quidem adsit, sed tamen non videri eum, stare post parietem, non cerni oculis, manu non palpari. Sic Christus adest ecclesiae suae per verbum et sacramenta, sed non cernitur oculis. Ac iis, qui in republica versantur, hac consolatione opus est. Nam cum impossibile sit mederi omnibus malis, etiamsi cupias, non ideo sentiendum est, Deum non curare imperia. Ita enim adest, ut tamen stet post parietem, et per cancellos ad nos respiciat. –

*) Cernimus nunc per speculum in aenigmate. 1. Cor. 13.
**) Deum adesse ecclesiae etc.

En dilectus meus loquitur mihi.

Mitigat quod videbatur paulo asperius dixisse; stat post parietem, videtur nonnunquam suos deseruisse, sed non stat mutus, loquitur mecum et consolatur, ut patienter feram, si qua nonnunquam incidunt incommoda.

Surge, propera, amica mea.

Blandissima verba haec sunt, quibus respondet sponsus sponsae suae laboranti, et tamen perseveranti in fide, ut certam retineat fiduciam hanc, quod sit amica Dei sui, etiam tum, cum videtur a Deo deserta. Sic regnum Judaicum satis multis calamitatibus quassatum est, et tamen vox sponsi semper testata est insignem amorem erga populum suum, etiam postea in captivitate.

Formosa mea, et veni.

Emphasis est in pronomine Mea, quasi dicat: mihi es formosa, quamquam coram mundo sis contemptissima. Forma *) autem haec posita est primum in verbo et donis spiritus sancti, deinde in externa administratione seu politia, pulcherrimis legibus divinitus instituta.

Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.

Sunt verba solatii, quibus significat commutationem fortunae. Vernum tempus **) recte comparatur tranquillitati ecclesiae et politiae, sicut

*) Forma. **) Ver.

econtra haereses, seditiones, bella non minus deformitatis habent et pariunt, quam hiems *).

Consolatur **) igitur populum Judaicum, ut redeat ad hilaritatem, siquidem pax sit parta ecclesiae et politiae, superatis tentationibus, quibus aliquamdiu laboratum sit. Futurum igitur, ut virescant et renoventur omnia in politia et ecclesia, quae turbata ac deformata hactenus sint per tyrannos et haereticos. In hanc spem vocat populum suum, et hortatur ut eam amplectatur. Id enim est surgere ***), et ad sponsum venire.

Flores apparuerunt in terra etc.

Germinibus terrae comparat juventutem ****), quae in pace educatur ad cultum Dei, et studia literarum, atque alias honestas, et reipublicae utiles artes.

Vox turturis audita est in terra nostra.

Turturem vocat pium populum, seu ecclesiam. Turtur †) enim verius gemit, quam canit. Post educationem autem hoc aliud commodum est pacis, quod religio propagatur, et hominibus suppetit otium ad discendum verbum Dei.

Ficus protulit grossos suos, et vites per florem dederunt odorem.

Educationem et sanam doctrinam sequuntur alia commoda ††), ut homines frugi sint, ac sancte vi-

*) Hiems. **) Consolatio. ***) Surgere. ****) Juventus germen. †) Turtur. ††) Educationis et sanae doctrinae fructus.

vant. Et hoc significat per grossos seu immaturas ficus, et suavem odorem florum vitis. Ad hanc spem vocat Salomon populum suum constitutum in regno et cultu Dei divinitus tradito.

Columba mea.

Columba *) in sacris literis semper laudatur, primum ob simplicitatem et innocentiam, deinde ob foecunditatem. Et notum est Christi dictum: Estote simplices ut columbae, et prudentes ut serpentes **). Ideo ecclesiae figura est columba, quae cum omnium injuriis pateat, non tamen reddit injuriam, sed patitur. Sic hortatur Paulus Corinthios ***), ut in sinceritate et veritate ambulent, abjecta illa humani cordis nequitia, quae tum divina tum humana omnia vertit in suum commodum. Haec autem columbina simplicitas est, quaerere quae Dei sunt et proximi.

Quae habitas in abscondito petrae.

Hic divinare cogimur, quid voluerit Salomon. Quidam per antithesin sic exponunt, quod iste populus simplex et pius non superbe habitet, sicut mundus et alia regna mundi, sed quod habitet, sicut aviculae conterritae, et in diversa pulsae; quae praesidia quaerunt in cavernis lapidum etc.

Sed mihi magis placet petrarum foramina accipere pro templo in Hierusalem et toto cultu Dei, quod Ecclesia secundum verbum Dei in Hierusalem sacra faciat, intra parietes templi, ceu intra petrarum cavernas ****), habitet, non sequatur lucos,

*) Columba Ecclesiae figura. **) Matth. 10. ***) 1 Cor. 5. ****) Cavernae petrarum.

valles etc., sicut aliud profanum idololatrarum vulgus, ut per emphasin petrarum cavernas dicat, quod ibi nullum idololatriae periculum sit, sed sit certa exauditio, et certa defensio etc.

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis etc.

Quandoquidem perseveras in puritate doctrinae et sancto cultu, exerce eam in loco a me praescripto, canta et doce, lauda et age gratias. Mihi enim placet facies et vox tua. Nam credentium *) omnia opera grata sunt, et Deo placent. Sunt verba consolatoria.

Sed nunc statim curabitur vulpecula, quae novas molestias concitet. Sic enim solet Satan **); cum sit totus contaminatus, tamen non occupat cineres, aut foeda loca, in quibus sedeat, sed eligit mundissima loca, vult esse inter filios Dei, sicut Hiob. 1. cap. est. Ideo in ecclesia falsos fratres, in politia seditiosos cives concitat. Opus ergo est, ut ambulemus caute, ut monet hic Salomon.

Capite nobis vulpes, vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas.

Vineam ***) supra diximus esse populum Dei, sicut etiam Esai. 5. ostenditur. Facile est igitur intelligere, qui sint vulpes, quas capi jubet. Et ideo de duobus vulpium ****) generibus dicit, de vulpibus et parvulis vulpibus, ut significet utrimque periculum esse ab astutis et malitiosis hominibus in republica et ecclesia.

---

*) Opera credentium. **) Satan eligit loca mundissima. ***) Vinea. ****) Duo vulpium genera.

Parvulae vulpes sunt falsi fratres in ecclesia et haereses, quae primo ita serpunt, ut difficile possint observari. Qui autem respublicas turbant, illi statim produnt se seditiosis consiliis, similes majoribus vulpibus, quae non ita possunt se occulere.

Nam vinea nostra floruit.

Vide Satanae insidias, captat id tempus, quo plurimum nocere potest. Sic sub papatu tranquilla erant omnia; sed postquam verbum coepit seminari, seditiones et haereses exortae sunt, quae subnascentem evangelii frugem corrumperent, cum antea alta pace tum respublicae tum ecclesiae viderentur frui. Quanto igitur certior ostenditur fructus verbi, tanto est cavendum magis, ne insidiis Satanae relinquatur locus *).

Dilectus meus mihi, et ego illi.

Est quasi epiphonema, quo respondet sponsa sponso, et spondet se hoc velle facere, ut perseveret in sinceritate, et vulpes observet ac capiat.

Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies etc.

Manebo cum sponso meo, pascenti inter lilia, etiamsi nox et umbra venerint.

Revertere, similis esto, dilecte mi, capreae, hinnuloque cervorum, super montes Bether.

Est precatio, mane tu quoque apud populum

---

*) Florente verbo maxime cavendum ab insidiis Satanae.

meum, et esto similis capreae currenti in montibus, ut singulas ecclesias et respublicas visites, cures et gubernes. Quod retinuit Ebraeum nomen, super montes Bether, appellativum esse debet, non proprium, significat enim in montibus divisis seu partitis.

Caput tertium.

In lectulo meo.

Hactenus audivimus Salomonem in genere canentem de politia sua, in qua cultum Dei habebat, ab ipso Deo institutum, nunc paulatim incipit digredi, ut perveniat ad tempus et personam suam *). Quare sequentia ferme omnia tanquam ad Salomonem pertinentia accipiamus.

Lectum **) vocat regnum, magistratum et populum, in quo cubat et quiescit ipse sponsus Deus. Haec figura nota est ex Isaia propheta. Parasti, inquit, lectos tuos in omni monte, ibi cum tuis amatoribus volutata es etc. Loquitur enim de idololatria populi, significans, totam illam religionem et cultum congregatum in montes etc.

Per noctes quaesivi, quem diligit anima mea.

Quod autem dicit se quaesivisse ***), significat ista incommoda reipublicae, quae varia solent incidere. Nam ante Salomonem plurimis tempesta-

*) Transitio. **) Lectus. ***) In aerumnis quaeritur Deus.

tibus jactatum est regnum Israel, sicut notum est ex regum historia. Huc etiam facit circumstantia temporis, quod noctu *), hoc est, in ipsis calamitatibus quaesiverit hoc quod diligebat, ac optaverit quietum et stabile regnum, nam in neutro genere ponitur.

Surgam et circumibo civitatem etc.

Pertinent haec quoque ad descriptionem affectus, quo optat bonus rex et totus populus tranquillitatem et finem malorum in politia et ecclesia.

Invenerunt me vigiles, qui circumeunt civitatem etc.

Custodes **) sunt Judices et principes. Inter hos, inquit, quaerebam hoc, quod diligo, pacem scilicet et tranquillitatem, sed neque sub Saule et Davide, nec ante eos, sub Judicibus eam inveni. Quoties novus aut judex aut rex dabatur, spes erat, futurum, ut sanarentur incommoda reipublicae, sed non inveni, donec paululum progressus ad Salomonem ***) perveni. Ibi inveniebam demum, quod quaerebam, sicut etiam nomen ejus id promittit.

Tenui eum.

Omnia haec, ut dixi, de persona Salomonis ****) accipio dicta esse, sub cujus imperio regnum pace et omni genere benedictionis florentissimum fuit. Neque hic accipienda haec sunt, quasi sui ipsius encomium conscripserit. Dicuntur enim omnia in

---

*) Nox. **) Custodes. ***) Salomon. ****) Pax sub Salomone.

persona politiae, agnoscentis Dei beneficia, quae per pium magistratum donavit Deus, et agentis Deo gratias. Ad hunc modum accipiendum est hoc encomion Salomonis, quod in hoc capite texitur.

Nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meae.

Domus, cubile, thronus, palatium, et similia significant ipsum populum seu regnum; quasi dicat: Populus meus sunt sicut lectus viduus*). Quot enim et quanta incommoda seditionum, bellorum, simultatum etc. sustinuit? Sed postquam Deus Salomonem dedit regem populo suo, parta pax et tranquillitas est, ut securus cubet et quiescat in lecto matris suae.

Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas etc.

Sic**) vocat, ut supra quoque ostendimus, sanctos prophetas in hoc populo, quin includit quoque ipsum Christum tanquam sanctorum omnium caput.

Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi.

Hic locus de beata virgine decantatus est, ut scilicet nusquam deessent vestigia, quae probarent incredibilem ignorantiam et caecitatem adversariorum nostrorum***). Nihil hic de beata virgine agitur; regnum Judaicum, quale sub Salomone fuerit, elegantibus et poeticis figuris describitur et

---

*) Lectus viduus. **) Capreae. ***) Ignorantia papistarum.

commendatur, ut sit sententia: politia et regnum sub Salomone*) fuit fragrantissimum, ita ut suavitate odoris, seu celebritate famae, omnia vicina regna impleverit. Recte igitur comparatur fumo, qui ex incensis aromatibus surgit, et tota palatia implet. Sic suavitate hujus gratissimi odoris regina austri invitata est, ut ad Salomonem**) veniret etc.

Quod varias species aromatum colligit, et ex iis fumum dicit surgere, eo pertinet quod varia dona in hoc populo fuerunt, sapientia, prudentia, patientia, fides etc.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt.

Hic vides Salomonis lectum***) dici, qui antea Dei lectus erat. Diximus autem lectum esse ipsum populum; hunc dicit munitum esse sexaginta fortibus. Per eos aut militia recte intelligitur, aut qui in pace administrabant rempublicam socii consiliorum Salomonis. Neque enim possibile est, unum, etsi sapientia summa sit, posse omnia negotia sustinere.

Unus igitur in lectulo cubat, qui regni caput est****). Apud hunc excubant sexaginta, tenentes gladium in manibus et docti ad proelia, hoc est, qui ad administrationem reipublicae vocati sunt, et etiam afferunt prudentiam rerum gerendarum. Utrumque enim requiritur, ut et apti sint et vocati. Quod addit,

Unius cujusque gladius super femur ejus,

Significat sollicitudinem et curam, quam admi-

*) Regnum Salomonis. **) 1. Reg. 10. ***) Lectus Salomonis. ****) Princeps et consiliarii ejus.

nistratio politica requirit. Oportet enim in omnes occasiones intentum esse, nusquam cessare, nunquam securum esse. Sicut Paulus dicit*): Qui praeest, praesit in sollicitudine. Roma. 12.

Lectulum fecit sibi Salomon.

Encomii pars, quam hactenus audivimus, est nihil aliud quam gratiarum actio pro lecto, hoc est, populo. Hic de lectica seu sede meminit, quam Salomon**) sibi comparavit. Neque autem est, ut putemus haec de materia dici, sed sedi seu lecticae comparat leges et judicia, quibus populum suum instituit Salomon. Haec commendat ita, quod insignita fuerint, auro, id est, sapientia, argento, id est, eloquentia, purpura, id est, ardore caritatis, cedrino ligno ex libano, hoc est, incorruptione, ut stata et fixa essent. Sed cur hoc?

Propter filias Jerusalem.

Non propter gentes, sed propter populum Dei.

Egredimini filiae Sion, et videte regem Salomonem.

Est haec quoque aptissima huic encomio particula***), quasi dicat: Ostendi vobis, quale regnum vobis Deus sub Salomone dederit, et quantis donis cumulati sitis, quod et in republica domi leges ac judicia, et foris pacem habetis. Nunc etiam hoc facite, videte initia horum donorum. Non rapuit Salomon regnum per tyrannidem, sed mater sua

---

*) Rom. 12. **) Sedes Salomonis. ***) Exhortatio ad gratiarum actionem etc.

coronavit eum, hoc est, consensu totius populi regnum ei delatum est. Igitur intuemini et complectimini eum, et Deo agite gratias pro istis donis suis, quae tam large in vos sub hoc rege distribuit etc. Atque haec particula satis ostendit hujus figuratae orationis, qua ubique utitur, nullum alium sensum esse, quam quod rempublicam suam ornare, et pro ea gratias agere Salomon voluit.

Caput quartum.

Quam pulchra es, amica mea.

In tertio capite audivimus vocem sponsae, laudantis Deum et agentis gratias pro regno per Salomonem instituto. In hoc capite respondet sponsus, sunt enim alternae cantilenae *).

Porro haec commutatio, quod alternis canunt populus et Deus, eo pertinet **), ut fides quasi arrhabone spiritus confirmetur, ac certo statuat ista placere Deo, et se esse in gratia. Quod igitur populus antea praedicavit Dei dona in hoc regno, idem nunc audit ab ipso Deo fieri, ut eo ad gratiarum actionem magis accendatur, et certius sua dona intelligere et intueri rectius discat. Ideo dicit: Quam pulchra es, o regnum Israel, quam es sanctum, quia certe statuis te Deo tuo placere. Incipit autem descriptionem pulchritudinis a capite.

Oculi tui columbarum.

Oculi ***) significant ductores et doctores, sic

---

*) Alterna carmina. **) Commendatio et consolatio ecclesiae. ***) Oculi.

Lucae 10: Lucerna corporis est oculus. Hos columbinos vocat, hoc est, simplicitate insignes. Id enim in doctore praecipue requiritur, ut maneat in simplicitate doctrinae et religionis.

Hoc igitur primum est, quod in populo hoc Deus praedicat, quod habet sacerdotium et justum cultum Dei. Hi oculi sunt, qui primam commendationem merentur. Sicut Daniel *) quoque in leone suo, hoc est, regno Babylonico, commendat, quod stabat in pedibus, sicut homo, erecto capite, et habebat humanum cor. Nam id eo pertinet quod ea monarchia donata fuit cognitione Dei, sicut testatur regis edictum.

Sed hic observemus, sponsam hanc habere columbinos oculos coram sponso. Coram mundo enim nihil judicatur foedius aut deformius esse. Neque enim sapientia carnis hanc speciem judicare potest, quam etsi videat et audiat, tamen videt eam, ceu per coloratum vitrum.

Absque eo quod intrinsecus latet.

Ego sic verto: Oculi tui oculi columbarum, intra cincinnos tuos; ut significet caesariem ad oculos usque propendentem. Nam ea quoque insignis commendatio est in puella. Porro cincinni **) significant ornatum sacerdotii, sicut in ecclesia necesse est omnia ordine et decore fieri. Sic apud Esaiam quoque est ***): Abradet dominus capillos et barbam per Assyrium, et alibi calvo capiti assimilat populum, privatum sacerdotio. Quidam per cincinnos malunt intelligere reliquos duces populi.

---

*) Leo in Daniele. **) Cincinni. ***) Esai. 7.

Capilli tui sicut greges caprarum, quae tonsae sunt in monte Galaad.

Fortasse alludit ad locum Gene 31., quod Iacob cum gregibus suis in Galaad*) pernoctavit, cum rediret ex Mesopotamia, quamquam mihi aptius videtur, quod respicit ad nomen montis. Significat autem cumulum testimonii. Hoc nomine ad templum alludit, ubi sacrificia et cultus caeteri exercebantur.

Non simpliciter comparat capillum**) capris sed gregi caprarum, ad significandam concordiam et consensum eorum, qui in populo docent. Ideo etiam nominat tonsas capras, non quod tonsae sint, sed quod capilli ita pares sint, ac si pexi essent.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascendunt de lavacro.

In dentibus***) candor, in oculis nigredo commendatur, sicut scitis. Sicut autem capillorum similitudo ostendit consensum doctorum inter sese, ita etiam dentes videmus in ordinem positos esse, et quasi mutuo sese juvare. Est autem dentium mordere.

Id in doctore etiam requiritur, ut sit potens ad arguendum et convincendum. Debet autem hoc sic fieri, ut tamen dentes sint candidi****), hoc est, debet fieri sine amarulentia, sine acerbitate et odio, ut emendatio, non vindicta quaeratur. Tales doctores, inquit, habet hoc regnum.

---

*) Galaad. **) Similitudo capillorum. ***) Dentes. ****) Dentes candidi.

Omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas.

Hoc addit ad ostendendum fructum ministerii *). Nam tum gemelli eduntur, cum animi primum lege terrentur, deinde iterum promissionibus seu evangelio eriguntur. Ad hunc modum, qui verbum recte secant **), fructum doctrinae suae in ecclesia cernunt. Neque enim fieri potest, ut sine fructu doceatur ecclesia, sicut dicit: Sterilis non est inter eas.

Sicut vitta coccinea labia tua.

Mire decent in puella labia rubicunda. Porro labia ***) significant officium docendi. Ea gemina sunt, sicut etiam doctrinae ratio gemina est, legis et evangelii. Quod sunt rubicunda, caritatis symbolum est. Nam praecipuum caritatis munus est recte docere de religione.

Comparantur autem vittae, seu fasciae coccineae, qua colliguntur crines, ad significandam concordiam, sicut Paulus monet: Unum sentite etc.

Eloquium tuum dulce.

Doctrina impiorum ****) est labor et dolor, imo sepulcrum patens †), sicut propheta appellat. Sed haec commendatio est verbi Dei, quod dulce est, reficit enim animos afflictos et contritos. Et Petrus inquit: Quo ibimus, Domine, verba vitae aeternae habes. Iohan. 6.

---

*) Fructus ministerii. **) Recte secantes verbum Dei etc. ***) Labia. ****) Doctrina impiorum. Verbum Dei. †) Psal. 5.

Sicut fragmen mali Punici genae tuae.

Rubicundae genae *) etiam sunt insigne ornamentum; nihil proprie agunt, tantum lucent et spectantur; non docent sicut oculi et dentes. Quare ego accommodo ad conversationem seu mores doctorum in ecclesia, in his etiam lucere debet ignis caritatis, sicut Christus dicit **): Luceat lux vestra coram hominibus.

Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis.

Hoc quoque ad doctores ***) pertinet. Neque enim solum aedificare, sed etiam defendere debent. Tempore pacis docendum est, belli autem tempore pugnandum, et resistendum Satanae ac haereticis.

Ideo requirit in hac pulchra forma firmum et rectum collum, quod comparat turri Davidis ****). De hac turri nihil exstat, quod sciam, in sacris literis, sed sine dubio munitissima fuit, et instructa ad depellendos hostes. Sic doctorem decet instructum esse, ut sit potens in doctrina. Tit. 1.

Mille clipei pendent ex ea.

Hoc addit ad significandam copiam, qua instructi debent esse doctores contra omnis generis haereticorum et Satanae dolos et fraudes. Fuit autem id in hoc populo eo magis necessarium, quod natura propendebat ad idololatriam, ad quam

---

*) Genae. **) Matth. 5. ***) Officium doctorum. ****) Turris Davidis.

etiam vicinarum gentium quotidianis exemplis et moribus invitabantur, etiamsi absque falsis doctoribus et pseudoprophetis fuisset.

Duo ubera tua sicut duo hinnuli.

Praeter hoc, quod ministerium verbi describit, per oculos, dentes, capillos, turrim, etiam uberum*) similitudinem huc applicat, quae apte convenit consolationibus, quae subjiciuntur territis mentibus. Sicut Paulus dicit 2. Timoth. 3: Omnis scriptura divinitus inspirata utilis ad docendum, ad arguendum, ad erigendum, ad instituendum in justitia etc. Ibi enim sine figura dicit, quod Salomon hic quasi poeticis figuris adumbravit.

Sed quomodo convenit uberibus et gemellis hinnulis? Fortasse eo alludit, quod non sint ubera, qualia scortorum sunt, sed casta et delicata. Sic in Proverb. 5. uxorem hoc nomine appellat: Laetare cum uxore tua, tanquam cum hinnulo.

Qui pascuntur in rosis.

Atqui in silvis pascuntur, sed pertinet hoc quoque ad descriptionem, ut ubera jucunda et delicatiora significet, quae scilicet intumescant, non ex vili pastu graminis, sed ex rosis.

Nihil hic admoneo de impuris cogitationibus, quae juventuti incidunt, cum tales descriptiones audiunt. Nam spiritus sanctus castus est, et sic meminit membrorum **) muliebrium, ut ea velit intueri ceu bonas creaturas Dei. Et in hoc libro nihil est, quod mihi quidem magis placeat, quam

*) Ubera. **) Membra muliebria.

quod video Salomonem tam suavibus figuris loqui de summis donis, quae Deus contulit populo suo. Ita ut insigne exemplum gratitudinis nobis hic sit propositum. Atque utinam nos quoque Deum nostrum sic laudare, sic ei gratias agere disceremus, ut eum appellaremus solem nostrum *), amicum, ecclesiam autem suam capream, pastam floribus etc.

Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris.

Hoc ceu epiphonema est, quo concludit encomium de ministerio verbi in hoc populo institutum**). Hactenus enim recensuit fere omnia verbi officia, quae oculis, dentibus, capillo etc. comparantur. Nunc hanc quasi acclamationem addit: Hoc tuum donum mihi est instar montis, in quo myrrha et thus***), suavissimi fructus, proveniunt. Ibi manebo, ibi oblectabo me, donec aspiret dies et inclinentur umbrae. Non fastidiam dona haec, non quaeram nova, sicut fastidiosi spiritus solent. Quanto enim magis editur, bibitur, videtur, auditur haec doctrina, tanto magis sitire, esurire debent auditores****), et optare, ut perpetuo nihil aliud neque audire, nec videre liceat. Qui hunc affectum non habent, nullum verum gustum verbi Dei habuerunt, quantumvis multum de eo garrire norint.

Myrrha symbolum verbi est; thus autem orationis.

---

*) Deus sol noster. **) De ministerio verbi. ***) Myrrha et thus. ****) Veri auditores verbi.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

Hic, meo iudicio, alius locus est, quamquam etiam pertinet ad institutum encomion. Loquitur enim de fructu et efficacia verbi *), quid scilicet hoc-ministerium verbi tantopere praedicatum in populo efficiat, quasi dicat: Antea te aspexi tantum in una parte, nempe in sacerdotio; nunc video te totam pulchram et sine macula esse. Nam verbum publice praedicatum cives domum reportant, et ex verbo discunt se et suos gubernare, ita ut ubique experiamur, in templo, in republica, in oeconomia certos verbi fructus, quod ceu fermentum omnes reipublicae partes, officia, et status omnes pervadit.

Nam cum referimus hanc pulchritudinem ad verbum, belle convenit. Sicut quoque Christus dicit: Mundi estis propter sermonem, quem loquor vobis. Et ecclesia hodie, quamquam semper oret pro remissione peccatorum, tamen si verbum, sacramenta, fidem, ipsum caput Christum respicias, est mundissima et sine macula **).

Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni de vertice Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, et de montibus pardorum.

Libanus ***) notus est. Est etiam notus mons Amanus ex latinorum literis, Sanir pars eius est.

---

*) Fructus verbi. **) Ecclesia sine macula, Ephes. 5. ***) Libanus.

Sunt fere contigui montes, et omnes aquilonares Hierosolymitanis.

Est autem haec exhortatio quaedam, ut verbum retineat populus, nec patiatur se in idololatriam abduci, propter exempla vicinarum gentium*), quasi dicat: Regnum meum patet ad Libanum usque, sed vos, cives mei, cavete a gentibus. Sunt vicina cubilia leonum, et montes pardorum, hoc est: Habemus vicina magna gentilium imperia, sed heus, huc a Libano ad Hierusalem et templum, ubi verbum est, istic nihil est, quam immanes bestiae, a quibus extrema pericula exspectabitis, nisi fugeritis.

Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum.

Insignis hic affectus est, in quo videmus, cum consentiunt populi**) in verbo et uno sensu, quantum id gaudium sit Deo et angelis. Vocat enim amicam, vocat sponsam, vocat sororem talem populum, et cor suum dicit amore tanquam saucium esse.

In uno oculorum tuorum.

Emphasis est in nomine Uno, ut ostendat Deo gratissimam esse simplicitatem, unitatem, et puritatem in doctrina***), sicut videmus, quam ubique Christus et Apostoli ad hanc consensionem hortentur et invitent.

Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea, sponsa.

Ubera****) non in doctoribus tantum, sed etiam

*) Regnum gentium. **) Consensus in doctrina. ***) Unitas in doctrina. ****) Ubera.

in populo sunt. Nam Christi dictum verum est *): ubi duo vel tres convenerint in nomine meo, ero ego in medio eorum. Ideo cum privatim frater consolatur fratrem, cum annunciat remissionem peccatorum, verbum id ratum est, et non fallit. Est enim spiritus sanctus efficax per verbum, ubicunque id dextre ac sincere tractatur, sive in publico, sive in privato.

Ubera tua suaviora vino.

Omnis generis solatia nihil sunt, si conferas cum iis consolationibus, quas verbum Dei nobis proponit **).

Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

Tua fama suavius olet, quam omnium gentium fama, venit enim ex verbo ***). Quid enim est fama totius mundi ad eam, quam tu habes, quae non rebus solum, ut jurisconsultus, non corpori solum, ut medicus, sed animo mederis, quae erigis et consolaris conscientias unguento sponsi tui. Hoc unguentum verbi medetur corpori et animo, ac utrumque recreat et conservat.

Favus distillans labia tua.

Hactenus egit gratias, et praedicavit insigne donum, quod Deus instituit politiam et sacerdotium in hoc populo, nunc addit non solum a Deo illa

*) Matth. 18. **) Consolationes verbi. ***) Odor evangelii sparsus. 2 Cor. 2.

instituta esse, sed etiam fortunari, manare efficaciam hujus ordinationis et fructum per totum populum etc.

Favus *). Populus, qui sic habet ministerium verbi, est favus, id est, colloquium et consolatio mutua, et distillans favus, id est, dimanans. Illa suavitas et puritas doctrinae pervadunt totum populum. Lac **). Lacte infirmi aluntur; idem verbi ministerium est, neque enim infirmos abjicit Deus.

Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Hic populus est ornatus pulcherrimis virtutibus, quae sequuntur verbum, unde odor thuris ***) est, id est, unde celebris est et late praedicatur fama ejus. Dicit autem thuris odor, quod ista fama referat aliquam divinitatem. Prima enim hujus populi laus est pulcherrima disciplina cultus Dei.

Hortus conclusus, soror mea, sponsa etc.

Alia laus huius populi ****). Commendat enim eum, quod sit pulcherrimis legibus conclusus et formatus circumcisione, et aliis ritibus, et quod maximum est, promissionibus signatus, quibus ab omnibus aliis populis discernitur. Sicut nos Christiani nunc sumus signati verbo, baptismo et sacramento altaris, quibus discernimur ab omnibus aliis gentibus, non solum coram mundo, sed verius in judicio Dei.

---

*) Favus. **) Lac. ***) Odor thuris. ****) Aliud encomium ecclesiae. Notae populi Dei.

Emissiones tuae paradisus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus etc.

Hic populus est hortus *), cujus emissiones, id est, plantae, quae emittuntur e terra, ceu paradisus quaedam sunt, plena arboribus, id est, sanctis hominibus.

Quod Latinus fecit: cum fructibus **) pomorum, accipio pro suavibus et delicatis fructibus. Varii fructus et arbores significant varia dona et officia in populo: Boni doctores, magistratus, patresfamilias, servi, servae, juvenes, senes etc.

Thuris ***) arbor sunt, qui fideliter et assiduo orant. Sicut myrrha et aloe mortificantes carnem suam significant, sic omnia genera donorum e verbo Dei in auditores manant.

Fons hortorum, puteus aquarum viventium.

Est epiphonema: Tu es vere fons aquarum fluentium de Libano. Libanum ****) per allegoriam vocat civitatem Hierusalem, quasi dicat: Hierusalem sic divinitus multis donis et in sacerdotio et politia ornata est ceu fons, qui irrigat alios hortos. Hujus enim exemplo aliae quoque civitates excitantur ad religionem et civilem disciplinam amplectendam.

Surge Aquilo, et veni Auster, perfla hortum meum, ut fluant aromata ejus.

Vult hunc hortum exerceri tentationibus, ut sint vices afflictionis et prosperitatis. Auster †)

*) Hortus. **) Fructus. Arbores. ***) Thus. Myrrha. Aloe. ****) Libanus. †) Auster. Boreas.

inflat praesumptione, boreas exsiccat desperatione, non ut pereat hortus, sed ut latius spargatur odor ejus, ut verbi virtus in cruce appareat.

Caput quintum.

Est oratio *) populi agnoscentis beneficia et dona Dei. Rogat enim, ut dilectus velit venire in hortum, quem sic ornavit laudibus, hoc est, velit ei benedicere, et dona praesentia conservare. Sicut in Psalmis oratur **): Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, alioqui animi in securitatem delabuntur et ruunt.

Veniat amicus meus in hortum suum etc.

Hunc hortum, hanc politiam, Deus meus, tu constituisti, veni igitur, cole et conserva eum verbo et spiritu tuo, ne pereat situ. Comede de fructibus ejus nobilissimis, hoc est: Declares nobis tua praesentia, tibi placere ista omnia etc.

Venio in hortum meum etc.

Exaudita est oratio ***). Significat enim se praesentem esse, et probare omnia et placere sibi omnia. Hoc est testimonium conscientiae, quod pii in officio et vocatione sua sentiunt: quod cum serviunt vocationi suae, certo affirmare possunt, Deum probare ipsorum opera et grata esse, quamquam alicubi negligentiores sint. Neque enim exclusa hic est remissio peccatorum.

---

*) Precatur ut Deus benedicat ecclesiae. **) Psal. 68.
***) Exaudita oratio. Testimonium conscientiae in piis.

Messui myrrham meam.

Myrrha*) est mortificatio carnis. Aromata**), quae suaviter olent, sunt reliqua bona opera et fructus fidei, hos se colligere et iis frui dicit.

Favum meum comedi etc.

Nota emphasim, quod omnia illa sua esse dicit, quasi dicat: Placent***) mihi conciones, consolationes, opera tua; vivendo, operando, loquendo, docendo places etc. Etsi autem fieri non possit in hac infirmitate, quin multa peccentur, aut negligentia, aut aliis modis, tamen placet ista obedientia, quantumvis imperfecta, propter fidem in Christum. Sicut Johannes dicit ****): Deus major est, quam cor nostrum. Habemus ejus bonum, quod infinitum est, contra nostrum malum finitum.

Comedite amici.

Exhortatio †) ad totam ecclesiam, ut fruantur illis beneficiis et donis cum gratitudine. Sunt autem necessariae consolationes, quae aegre creduntur ab iis, qui versantur vel in politia, vel in ecclesiae ministerio. Confirmant autem animos piorum, ne laboribus et ingratitudine hominum fracti discedant ab officio suo.

Dormio ego, sed cor meum vigilat.

Hic incipit novus locus. Hactenus enim descripsit tempus pulcherrimae pacis, quae sub Salo-

---

*) Myrrha. **) Aromata. ***) Deo placent piorum opera. ****) Johan. 1. †) Exhortatio.

mone floruit, proque ea egit gratias; nunc prospicit in futura tempora, et videt ob peccata populi variis malis tum politiam, tum sacerdotium affligendum.

Quemadmodnm enim tempestatum vices *) sunt, sic subinde pacem bellum, tristitiam laetitia, afflictionem consolatio, rursus consolationem alia afflictio sequitur. Has vices ad finem fere hujus libri Salomon tractat, et describit futuras tentationes universali descriptione. Sic perpetuo in hoc regno fiet, subinde tentabimur, exercebimur variis calamitatibus etc.

Ego dormio, et cor meum vigilat.

Dormio, fruor jam alta pace, secura sum, omnia sunt tranquilla, nihilominus cor meum viligat. Video enim peccata populi, video minari Deum mala per verbum. Sum igitur sollicita de futuro malo etc.

Vox dilecti mei pulsantis.

Hic incipit crux; vox pulsantis **) est vox terroris, volentis expergefacere, ne secura amittat praesentia bona. Crux enim est neccessaria et utilis nobis ***). Qui diligit filium suum, multiplicat ei flagella, dicit in Proverb.

Aperi mihi, amica etc. quia caput meum etc.

Est accusatio sponsae. Pax, qua hactenus frueris, te desidiosam facit. Iaces in lecto, me noc-

*) Rerum vicissitudo. **) Vox pulsantis. ***) Crux utilis.

turnis imbribus madidum, ante fores stare pateris, hoc est, negligis me, negligenter administras tam politiam quam sacerdotium. Caput et capilli toti madent, id est, duces in utroque regno negliguntur etc.

Exspoliavi me tunica mea.

Nuda jaceo, non possum surgere. Significat non solum culpam neglecti verbi, sed rebellionem quoque. Non vult parere per patientiam Deo visitanti propter peccata; non vult dimittere pacem, nihilominus tamen pergit in peccatis suis. Atqui in Psalmo est*): Justitia et pax se osculatae [1]) sunt, quod sine justitia ne speranda quidem pax sit.

Dilectus meus misit manum suam per foramen.

Hic vult eam cogere, ut surgat quantumvis invita. Sic misit manum suam per foramen**), cum Assyrium mitteret, cum aliis calamitatibus eos premeret, sic excitavit hanc politiam diffluentem otio, et solutam longa pace. Deus non mentitur, semper minas sequuntur res.

Surrexi, ut aperirem dilecto.

Aperire ostium***) significat animum praebere patientem. Dicit igitur se patienter sustinuisse manum Dei. Ne autem sentias id facile esse, manus meae, inquit, stillaverunt myrrham, et digiti mei myrrham transeuntem usque ad pessulum serae. Vult significare difficile fuisse carnem****) vincere,

*) Psal. 85. **) Mittere manum per foramen.
) Aperire ostium, *) Crux carni dura.
[1]) In edit. 1539: consolata.

ut consentiret Deo, ne murmuraret, sed admitteret poenam et ferret.

At ille declinaverat.

Hic intenditur tentatio et augetur, quod videtur Deus nos relinquere in ipsis malis, neque offertur aliqua consolatio fessae menti.

Anima mea liquefacta est.

Verbum significat: egressa est, quasi dicat: Tanta exspectatione teneor, ut animo paene linquar. Nullum sentio auxilium, solum verbum suum reliquit mihi, in eo haereo, ut paene deficiam etc.

Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem.

Custodes *) hic intelligo doctores legis, qui non consolantur, sed magis terrent, et objiciunt peccata, sicut illi in Hiob, cum consolari debeant, damnant. Possunt custodes quoque accipi pro iis doctoribus, qui in calamitate vana praesidia docent, quibus innitamur. Sicut apud nos fuerunt cultus sanctorum, indulgentiae, et aliae hujusmodi impiae nugae.

Sed afflicti animi non possunt erigi, nisi per verbum gratiae **). Omnia alia solatia non modo non juvant, sed etiam (sicut hic conqueritur afflictus populus) magis vulnerant, et cumulant iram.

Adjuro vos, filiae Jerusalem.

Sponsa, vel populus in tentatione positus, sive ea sit captivitas Babylonica, sive alia quaedam,

*) Custodes. **) Verbum gratiae consolatur.

amisit Deum suum, et est relictus in manibus adversariorum, ita ut nusquam appareat Deus vel auxilium. Non tamen ideo desperat, sed tolerat manum Dei visitantis, et vocat alios, eosque hortatur ad orationem. Filiae Hierusalem, hoc est, omnes vos, qui pertinetis ad hunc cultum.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto.

Verte: prae dilectis. Volunt scire, quem dilectum habeat, quod eum omnibus aliis dilectis praefert, quod deserta non vult se ad alia praesidia et auxilia convertere, sicut solent homines, quos non spiritus Dei, sed ratio sua agit et docet.

Hic igitur incipit longam imaginariam descriptionem, qualem habeat dilectum. Nunc primum eum describit, cum amisit eum. Sic solemus omnes, praesentia bona *) fastidimus, et negligimus. Sublata ex oculis quaerimus invidi, sicut poëta ait.

Dilectus meus candidus et rubicundus.

Est descriptio imaginaria Dei, non qualis est in sua majestate, sed qualis est in cultu et verbo suo, hoc est, Dei induti et ornati regno et sacerdotio in populo illo etc. Candor **) significat laetitiam; festis enim diebus vestiebant candidis. Rubor ***) amorem significat, quasi dicat: Cum sacerdotium et regnum adhuc starent integra, abundabamus pulcherrimis donis, quibus Deus testabatur nobis suum amorem erga nos. Erant igitur omnia plena gaudio et laetitia, nunc miseri lugemus, dissipata politia, amissis illis pulcherrimis donis etc.

---

*) Praesentia bona negligimus. **) Candor. ***) Rubor.

Sic fit, qui verbum Dei habent, illi habent amantem, consolantem, laetificantem et benefacientem Deum. Haec autem omnia amisisse se queritur populus.

Electus e milibus.

Est electus heros et gigas, qui paratus est ad defendendos suos.

Caput ejus aurum optimum.

Religio et doctrina, quam Moses sapientiam hujus populi vocat, est ceu aurum purissimum; aliorum deorum cultus sunt ceu scoria etc.

Cincinni ejus densi.

Abundabam eo tempore, cum adhuc retinerem Deum, cultoribus Dei et ministris, qui capiti, hoc est, Deo sunt proximi. Erat magna copia sacerdotum et levitarum.

Et nigri sicut corvus.

Sacerdotes erant graves viri, in quorum vultu et gestibus jucunda severitas inerat. Nisi quis malit accipere nigram comam, ob externam speciem, contemptam; id quod non puto. Fuerunt enim nigri capilli *) laudati apud illos, sicut apud Horatium quoque Spectandum nigris oculis nigroque capillo.

Oculi ejus sicut columbae ad rivulos.

Oculi **) sunt rectores et duces populi, qui non solum Deum colunt eique serviunt, sed etiam

*) Nigri capilli. **) Oculi.

erudiunt et docent simpliciter et fideliter. Celebratur columba *) ob munditiem; quod non bibit, nisi mundissimam aquam, idque ideo, ut possit sibi cavere ab accipitribus, quorum imaginem aqua reddit. Sic fideles doctores **) intenti sunt ad cavendos falsos spiritus, et versantur solliciti ad aquam mundam, hoc est, ad scripturam.

Addit autem: Oculi loti lacte, hoc est, pleni consolationibus, item, residentes in plenitudine, hoc est, prae se ferentes hilaritatem aliquam. Cavi oculi indicant severitatem, etc. Sed hujus sponsi oculi sunt pleni, et habitant in plenitudine, id est, habent copiosum populum, verbum eorum fideliter auditur, ecclesiae et scholae sunt plenae discipulis.

Genae ejus sicut areolae aromatum.

Genae ***) sunt externa conversatio totius populi, quae sequitur ex verbo; illa est excitatior, fundit suavem odorem, pacis, humilitatis, fidei etc.

Labia ejus rosae distillantes myrrham.

Labia ****) sunt suavia et plena amore, distillant tamen myrrham, id est, doctrinam mortificantem, docent, arguunt, instant, objurgant etc.

Manus illius tornatiles aureae.

In toto populo, inquit, sunt qui abundant bonis operibus. Legis opera †) sunt manus contractae, rugosae et aridae. Hic cum summa voluptate bene operantur, sine molestia aliqua.

*) Columba. **) Fideles doctores. ***) Genae. ****) Labia. †) Legis opera.

Venter ejus eburneus.

Vulgus significat, quod est in corpore ecclesiae, ceu venter *), quod quamquam per se infirmum sit, ut aliorum membrorum ministerio opus habeat, tamen est candidum, sicut ebur et incorruptibile.

Crura illius columnae marmoreae.

Crura **), hoc est, robustos in ecclesia opponit ventri.

Species ejus ut Libani.

Totus populus est ceu mons Libanus, pulcherrimis arboribus consitus, in quo varia officia, varia dona sunt etc.

Guttur illius suavissimum.

Non foetet ei anima, sed dulcia spirat, hoc est, hi fructus ecclesiae, quos hic recitavi, placent e grati sunt Deo.

Totus est desiderabilis.

Non quod nulli sint impii in illo populo, sed quia verbum habet, ideo omnia dicit esse desiderabilia, propterea quod nullus thesaurus cum verbo Dei ***) conferri possit, in quo verum cultum Deus nobis praescribit, et remissionem peccatorum promittit, ut nullum peccatum sit reliquum etc.

Sic celebrat sponsum suum, et queritur se omnibus his donis privatam, quae praesente eo habuit.

---

*) Venter. **) Crura. ***) Verbum Dei.

Caput sextum.

Quo abiit dilectus tuus.

Sponsa ob amissum sponsum tristis quaesivit eum apud alias civitates, sed non invenit. Hae tamen pollicentur suum studium, se oratione adjuturas eam, et simul quaesituras sponsum.

Dilectus meus descendit in hortum.

Hic redit consolatio. Videt enim se non omnino desertam a sponso, sed abiisse eum in hortum, ut hortum curet et rosas colligat, hoc est, ut sua dona magis in populo augeat. Cum enim Deus nos deserit, non facit id ira, aut odio nostri, sed purgat sic vitem, ut eo melius fructificet *), Johan. 15. Tractat enim sponsa hic fructum tentationis, quod per multas tribulationes proficiamus in fide et bonis operibus.

Ego dilecto meo, et ipse mihi.

Id est: Ipse est meus dilectus, et ego sum ejus dilecta. Haec plerophoria et fiducia sequitur tentationem. Rosae **) sunt sancti in isto populo.

Pulchra es, amica mea.

Hic se sponsus sponsae offert, et significat se delectari ejus fide, quod non sit fracta tentatione, ut blasphemaret, aut a Deo discederet. Est autem haec magna conscientiae consolatio, quod certo

*) Fructus tentationis. **) Rosae.

statuit placere Deo patientiam, et delectari eum sacrificio contriti, non tamen desperantis cordis*), ut quamqum caro offensa nonnihil murmuret, tamen spiritus gemat ad Deum, et potius in tentatione perpetuo manere et perire cupiat, quam ut ad impietatem a Deo recedat. Sic probatio spem parit.

Sicut Tirza, et decora sicut Jerusalem.

Tirza**) fuit sedes regum Israel, quasi dicat: Mea sponsa, tu es quàsi Tirza formosa, et bene munita civitas, et sicut Hierusalem optimis legibus formata et instituta. Nihil aliud est, quam descriptio plerophoriae, quod sentit ecclesia seu populus omnia sua opera summe placere Deo.

Terribilis ut castrorum acies.

Ecclesia***) seu populus Dei non solum est bene institutus cultu Dei et politicis legibus, sed etiam terribilis diabolo et adversariis suis. Satan enim metuit nos, cum videt cor hac fiducia munitum, quod credimus, nos placere Deo. Metuunt et adversarii, ideo enim occidunt pios, quia metuunt, sicut Pharao Exod. 1, Sapienter opprimamus, inquit, eos, ne forte multiplicentur etc.

Averte oculos tuos a me.

Duplex sententia, prima dehortatoria est: Averte oculos tuos a me, id est, ne speculeris de majestate, alioqui obrueris ab ea. Hanc non probo, videmus enim esse sponsum in argumento conso-

*) Sacrificium contriti cordis. **) Tirza 1 Reg. 15 et 16. ***) Ecclesia terribilis Diab. etc.

lationis. Altera sententia est commendatoria et amatoria: Averte oculos tuos a me, tam sunt suaves et jucundi, sic me irritant, ut non possim eos amplius videre. Non quod rejiciat oculos, sed amatorio more, dum jubet, ut avertat eos, vult maxime, ut non avertat.

Est igitur commendatio ordinum in spirituali regno. Oculi *) enim sunt doctores, quales fuerunt Helias, Heliseus, etc. Illi tam mihi placent, inquit, ut provocent me ad superbiam. Sunt insignes consolationes, quibus testatur Deus, se probare hujus populi politiam et cultum, ut corda concipiant plerophoriam, se placere Deo etc.

Capilli tui sicut grex caprarum.

Conveniunt omnia cum superiore descriptione. Sunt autem capilli **), sicut dixi, sacerdotes et levitae, qui sunt in vertice populi, et regunt verbo Dei populum. Gilead ***) significat cumulum testimoniorum; ea est sacra scriptura, quae vere continet cumulum testimoniorum.

Dentes tui sicut greges ovium, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus.

Hoc quoque pertinet ad officium docendi, mordere et objurgare non odio privato, sed ex caritate et pio zelo; ideo ovium sunt dentes ****). Quod autem addit de gemellis foetibus †), significat fructum praedicationis. De genis supra.

---

*) Oculi. **) Capilli. ***) Gilead. ****) Dentes. †) Gemelli foetus.

Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus.

Hactenus laudavit diversa officia et status hujus populi. Laus tamen magis referenda est ad ipsum verbum, quo regitur populus, quam ad personas quae regunt; nunc agit gratias*) pro politia divinitus data, quod dimanaverit in tot civitates et villas. Hic enim scopus tenendus est per totum librum, quod de politia loquatur.

Sexaginta igitur reginas**) et octoginta concubinas accipio pro civitatibus locupletioribus et tenuioribus, quae per totum regnum Salomonis in Syria, Idumaea, Palaestina etc. fuerunt, et iisdem legibus sunt usae. Adolescentulae***) sunt reliquum civitatum vulgus, quae omnes divinis legibus administrabantur.

Locus in libris Regum****) de multitudine uxorum Salomonis plerisque hunc locum obscuravit. Falluntur autem qui putant Salomonem tam libidinosum fuisse, ut tot uxores duceret. Imposuit ei†) necessitatem eam lex, quae jubebat, ut defuncto marito sanguine proximi succederent. Desertae igitur viduae videbant sibi optime consultum, si inter regias uxores aut concubinas essent. Hac occasione tot mulierum factus est maritus Salomon.

*) Gratiarum actio. **) Reginae. Concubinae. ***) Adolescentulae. ****) 2. Reg. 11. †) Qua occasione Salomon tam multas habuerit uxores.

Una est columba mea, perfecta mea etc.

Dixi, quod gratias agat de fructu, qui sequitur ex verbo. Administratio illa non est frustra. Sunt sexaginta reginae etc., quae omnes ea utuntur. Et quamquam nulla ex his civitatibus sic sit pura, ut non multi perditi et nequam homines in ea sint, tamen in singulis aliqui sunt pii columbina simplicitate, qui ex animo hanc politiam colunt et observant, qui eam tanquam summum Dei donum admirantur et praedicant, cum verbum habeat, et in ea ecclesia Dei sit. Haec est unica mea, mea una columba, collecta ex toto regno etc.

Viderunt eam filiae Sion, et praedicaverunt beatam.

Pios et bonos cives, qui passim sunt in civitatibus, coguntur omnes laudare, etiam impii.

Quae est ista, quae progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.

Regnum Salomonis *) sic constitutum et ornatum legibus celebratur ubique, prodit et illuminat totum orbem fama et gloria sua. Cetera regna **) sunt obscurae tenebrae, collata ad hoc, quia sunt obsessa per satanam, Deus non misit eis verbum suum, nec illustravit ea radiis cognitionis suae. Est igitur haec politia Salomonis ceu aurora, sol et luna in mundo propter verbum.

---

*) Regnum Salomonis. **) Gentium regna.

Sunt autem insignes consolationes, quando politicus populus potest sibi persuadere, se talem esse coram Deo, qualem hic describit. Nam coram mundo saepius videmus contrarium, sicut etiam populi Israelitici historia nos docet.

Descendi in hortum meum, ut viderem fructus convallium, etc. Non novi etc.

Finita consolatione sequitur alia tentatio. Hactenus laudavit regnum suum et egit pro eo gratias; videt enim columbam, hoc est, aliquos in singulis civitatibus bonos, quorum pietatem et vitam probat.

Iam convertit se in alteram partem, et videt tantam multitudinem impiorum *) esse, ut nulli prae ea pii aut boni esse videantur. Sic enim fit: vitia vehementius movent animos. Requiritur igitur hic singularis fortitudo, quam spiritus Dei suppeditat, ne frangatur aliquis adspectu illorum malorum.

Descendi, inquit, in hortum meum. Egi episcopum et visitatorem, ut viderem fructus meae politiae, et ecce tanta impiorum est multitudo, ut cogar dicere: Nescivi vel non novi, scilicet meam columbam. Cum enim aestimamus numerum, tanta multitudo est impiorum, ut nulli usquam videantur esse pii. Idem nobis accidit: cum visitamus ecclesias, tot invenimus ubique vitia, ut merito aliquis desperet de fructu verbi, et tamen manet columba illa, quamquam tecta malorum multitudine non cernatur.

*) **Multitudo impiorum.**

Anima mea conturbavit me.

Admodum obscurus hic locus est. Hieronymus*) sic reddidit, ut recte conveniat cum sententia, quam dixi: venisse se ad adspiciendos et quaerendos fructus, sed nescire, hoc est, nihil invenire; quod semper major numerus est improborum, tum, si quis spectet, amitti quasi bonos et nusquam apparere. Sed mihi aptius esse videtur, si conjungamus sententias in hunc modum.

Nescivi quod posuit me anima mea, ut essem quadriga populi munifici.

Nam Aminadab appellative accipio. Est autem usitata figura, quod anima**) ponitur pro voluntate. Anima mea posuit me in quadrigas populi, hoc est, ego optavi esse quadrigae populi. Sed hoc quoque nescio, sum quidem positus, ut praeessem aliis, et regerem alios, sed nolunt regi, volunt ipsi non parere, sed regere, et principes esse etc. Sic enim solet indomitum vulgus.

Revertere, revertere, o Sulamith.

Sponsus hic revocat sponsam ab adspectu malorum, ut mittat illa, et potius consoletur se adspectu bonorum, quae habet. Est autem non levis ars posse vincere praesentem tentationem, et revocare animum***) a tristitia, cogitatione bonorum quae habemus; quae semper, si quis dextre judicet, su-

*) Hieronymi interpretatio. **) Anima. ***) Animus a malis ad considerationem bonorum revocatus.

perant et excedunt longe incommoda quibus premimur. Dicit igitur: revertere et adspiciemus te; averte oculos ab incommodis praesentibus, te inspice, et videbis quanta in te beneficia et dona contulerit Deus.

Vocat autem eam Sulamithen *), vel perfectam, vel pacificam, ut eam insigni praeconio avocet a tristibus cogitationibus, quas concepit ex adspectu malorum. Pacifica es, hoc est, omnia se bene habent, abundas omni genere bonorum, vel perfecta es, nihil tibi deest. Habes enim politiam divinitus institutam, habes magistratus, qui regant, et subditos, qui obediant. Si qui inter hos mali sunt, hi ne te moveant, considera potius tanta dona tua etc.

Nos quoque in privata vita hanc aequitatem retinere debebamus, ut patienter toleraremus levia quaedam vitia, vel in amicis, vel uxore, cum tot aliis commodis pensata sint, si quis modo recte aestimat.

Quid videtis in Sulamith.

Quin potius recte, et sicut meretur, inspicite eam. Agnoscite Deum et verbum Dei in ipsa, et rempublicam non humano, sed divino consilio constitutam. Quid ergo in ea reprehendi potest? Deus oeconomiam, politiam, ecclesiam hujus populi non solum dedit, sed et approbat, neque hoc solum, sed et promisit se affore, etc.

Nisi choros castrorum.

Est instructissima, ut non sit periculum a mul-

*) Sulamith.

titudine impiorum, quod eam evertant. Deus adest et gubernat suum populum etc.

Caput septimum.

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.

Hic describit carmine politiam, sic ordinatam et ornatam, et fingit eam incedentem, ut significet eam non solum habere excellentia dona, sed etiam esse in quotidiano donorum usu, quod sacerdotes verbum Dei doceant, magistratus recte jus dicat etc. Hoc significat, quod calceatam esse fingit. Neque enim puto eum velle allegoriam, quod sit munita et vincta legibus etc.

Iuncturae femorum tuorum sicut monilia etc.

Ferunt prohibitum fuisse apud Iudaeos *), ne adolescentes hunc librum legerent, id quod alii sic accipiunt, ne hac lectione adolescentes inflammarentur ad libidinem, ego autem ob difficultatem potius interdictum fuisse puto, quod, cum in totum politicus sit, inutilis esse videatur juvenibus, qui nullum humanarum rerum habent usum. Nam et adolescentes sine concupiscentia de mulierculis loqui et audire possunt, si tanquam creaturam Dei eas considerent. Et spiritus sanctus habet castum os et purum cor.

---

*) Lectio hujus libri prohibita apud Iudaeos.

Loquitur igitur hic de membris genitalibus tanquam de sua creatura, qua abutitur caro et concupiscentia, suo, non spiritus sancti vitio. Haec ideo dico, ne quis hoc textu, qui amatorius esse videtur, offendatur. Sciendum autem est, quod spiritus sanctus in allegoriis magis spectet usum quam formam rei. Quare hic mentionem facit membrorum generationis *), ut ventris, umbilici, femorum etc., ut foecunditatem hujus populi describat. Laudantur in mulierculis femora latiora **), quod aptiora sint gerendo foetui. Loquitur igitur Salomon de spirituali generatione ***) in hoc populo, quod juventus instituitur ad ministerium ecclesiasticum et politicum. Ejusmodi femora apud nos sunt scholae, et dicimus ideo infelicem Germaniam, quod hac apta et eleganti femorum junctura careat, et scholae desertae sic jacent etc.

Umbilicus tuus crater rotundus, cui nunquam vinum desit.

Vis conceptiva et generativa in umbilico ****) est, id quod ex Hiob arguunt Cap. 40: Virtus ejus in umbilico ventris ejus. Significat autem parentes et magistros juventutis. Hi sunt velut crater †), cui nunquam desit vinum, hoc est, non est inutilis eorum institutio. Sic commendat sponsae sponsus ea dona, quae habet, ut consoletur se praesentibus, et contemnat ea mala, quibus offenditur.

---

*) Cur mentionem facit membrorum genitalium. **) Femora lata. ***) Spiritualis generatio. ****) Umbilicus. †) Crater.

Venter tuus sicut acervus tritici.

Institutio et eruditio tua est foecunda sicut cumulus tritici. Laudatur rotunditas in ventre *), sicut umbilicus depressior et paululum infixus ventri laudatur. Rosas**) vocat scripturam et leges.

Duo ubera tua etc.

Ubera***) habet, quibus generatos alit.

Collum tuum sicut turris eburnea.

Turrim dicit, quod sit erectum, eburneum, quod candidum et durabile collum sit. Sunt autem collum****) doctores et magistratus populi incorrupti et firmi, qui non franguntur animo, non vincuntur odio, amore, pretio etc., sed rite faciunt officium suum.

Oculi tui sicut piscinae Hesbon, ad portam magnatum.

De his piscinis nihil legimus in scriptura. Sunt autem oculi †) doctores, qui ceu piscinae redundant aquis, ut consolentur et fide et moribus infirmos. Oculi clari, pellucidi, sicut piscina.

Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit ad Damascum.

Rectus nasus ††) quoque laudatur, sed spiritus sanctus magis usum spectat. Significat igitur doctores et magistratus diligentes, qui non stertunt, sed ubique vigilant. Puto significare speculam aliquam ad aquilonem sitam.

---

*) Venter. Umbilicus. **) Rosae. ***) Ubera. ****) Collum. †) Oculi. ††) Nasus.

Caput tuum sicut Carmelus.

Caput *) sunt summi in populo, Salomon scilicet cum principibus suis, et sacerdos summus. Hi sunt tanquam fertilissimus mons, non per se, sed per magnificas promissiones, quas utrique habent.

Et comae capitis tui sicut purpura regis etc.

Mirabilis figura, quod capillitium vocat canales, et tamen si formam spectes, non multum abhorret a re. Capillus **) enim muliercularum dependens in humeros distinctus, et modice inflexus seu tortus est, ut efficiat similitudinem aquae e canali profluentis. Sunt autem hi canales seu capilli ordines tum levitarum, tum politici magistratus, qui a magno sacerdote et rege ceu capillus a vertice capitis per dorsum ad inferiores corporis partes fluunt. Quod autem addit, sicut purpura, non respicit ad colorem, sed ad materiam. Laudantur enim molles capilli, quos nos serico comparamus.

Quam pulchra es et decora.

Hic laudat politiam tot donis ornatam.

Pulchram vocat, quod sic belle omnia officia distributa sunt.

Decoram, quod haec dispositio ornet ipsam, et delectet omnes videntes et audientes ipsam.

Statura tua assimilata est palmae etc.

Palma ***) non cedit ponderi. Sic tu quoque

*) Caput. **) Capilli. ***) Palma.

es, gentes te non poterunt premere. Sacerdotes enim docent verbum, et nihil morantur odium mundi, judices tui sequuntur jus, et juste judicant, nihil morantur invidiam mundi etc. Sicut est in 2. lib. Regum 14 cap.: Dominus meus rex est, sicut angelus etc.

Dixi, ascendam in palmam.

Adeo mihi places sic instituta et ornata, ut cogar te amplecti. Sunt insignes consolationes, quibus Deus significat sibi grata esse et placere omnia, de quibus hactenus dixit. Respondet enim suo spiritu spiritui Salomonis, recte eum facere, quod sic vehat laudibus politiam suam, et pro ea agat gratias, et amatorie dicit: Ascendam hanc palmam, id est, amanter complectar te et regnum tuum. Sic fiet ut

Ubera tua fiant botrus vineae.

Non erit amplius lacte opus, sed sic confirmabo tuos cives, ut possint bibere vinum, durabo eos non solum ad ferenda, sed vincenda quoque mala etc. Conjungit autem uberibus nasum. Ubera*) enim docent, nasus autem custodit et vigilat, et tuetur doctrinam.

Guttur tuum sicut vinum optimum.

Laudes tuae et gratiarum actio, quam pro politia offers, sunt mihi gratissima. Guttur **) enim allegorice significat canere, laudare, gratias agere.

---

*) Ubera. Nasus. **) Guttur.

Illa mihi sunt ceu vinum, qui ambulat ad dilectum meum recte (sic enim vertendum est), hoc est: Ideo placent laudes tuae, quia directae sunt in me, non praedicas tuas vires, tuam justitiam, me praedicas etc.

Et dentibus illius ad ruminandum.

Nos sic vertimus.

Quod commovet labia senum.

Verbum enim, quo hic utitur, significat famigerare, et sermonem spargere, ut sit sententia: Illas laudes et praeconia illa, quibus mea beneficia celebratis, retinent et propagant senes, qui magnam cognitionem historiarum habent, in alios.

Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum etc.

Hic postulat sponsa novum donum, pro quo postea aget gratias. Regnum Israel sub Salomone fuit amplissimum; imperavit enim Edomitis, Palaestinis, Syris et Moabitis.

Orat igitur sponsa, quoniam habeat adhuc multos alios populos foris (hoc enim agrum *) vocat), ut velit dare gratiam suam sponsus, ut illi quoque recte administrentur, et verbum in finitimas gentes propagetur.

Mane surgamus ad vineas etc.

Volumus videre, an in illis quoque sint aliqui boni et reipublicae utiles viri.

---

*) Ager.

Ibi dabo tibi ubera mea.

In istis locis quoque docebimus, exercebimus etiam apud illos cultum et legem nostram.

Mandragorae dederunt odorem suum.

Non vult hoc, quod nos hodie mandragoram *) vocamus, sed significat suavem et nobilem aliquem fructum, sicut apparet ex Genesi et ex hoc loco. Sententia autem est: Invenio fructum verbi etiam apud gentes vicinas, quae fruuntur religione et politia nostra. Verbum non docetur sine fructu, sed generat etiam inter gentes optimos homines.

Omnia poma nova et vetera.

Poma **) generaliter significant omnes nobiles fructus arborum. Significat se abundare bonis civibus, quos abscondit sponso. Hoc est, gloria regni populi Dei ***) non cernitur nisi in verbo, quacunque alia parte eam specles, sordet. Ideo mundus non solum contemnit bonos, sed persequitur et odit. Non enim est dignus, ut vel pium hominem vel bonum opus videat. Ideo dicit sponsa: quae abscondi tibi.

Caput octavum.

Diximus in principio, hunc librum Salomonis esse ceu hymnum, in quo canit beneficia divina, exhibita populo suo per verbum, et gratias pro iis

*) Mandragora. **) Poma. ***) Gloria populi Dei non cernitur.

agit. Videtur autem hic instituere conclusionem Cantici *) et orare pro futura dilatatione regni. Respicit enim in tempora Christi, quibus verbum et cultus Dei in totum orbem vulgandus erat. Sic oratur in Psalmo **) etiam: Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

Quis mihi det te, fraterculum meum, sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, et deosculer te etc.

Sententia est: O Deus noster, auge regnum hoc in infinitum ***). Est in agro foris, hoc est, in vicinis gentibus, et optat tamen ultra procedere. Fingit autem sponsum parvulum et sugentem ubera matris suae. Deus enim in illo populo, si alia regna spectes, in quae erat propogandus, erat ceu infantulus. Dicit igitur: Es tanquam puer sugens lac matris, quis dabit mihi, ut te inveniam foris, propagatum per verbum evangelii in omnes gentes. Addit autem: ut deosculer te. Osculari ****) enim est: verbum dare, habere evangelium. Haec cum fient, inquit, non amplius despicient me homines. Sumus jam contemptus populus, sed tum fiet, ut in omnibus regnis per totum orbem sint aliqui, qui me colent et laudabunt, qui amplectentur cultum Dei, et verbo Dei credent etc.

Apprehendam te, et ducam in domum matris meae.

Tum deducam te in synagogam †). Sicut de

---

*) Argumentum totius libri. **) Psal. 68. ***) Precatio. ****) Osculari. †) Prophetia de regno Christo.

Ioanne scriptum est: Convertet cor patrum in filios. Iudaei enim credentes in Christum non sunt deducti ad nos gentes, sed ad patres suos, hoc est, ad fidem patrum. In eam familiam post nos gentes sumus asciti, ut jam simus unus populus.

Ibi me docebis.

Tum instituetur ministerium docendi perfectum, cum per spiritum sanctum ita manifeste adjuvabitur.

Et dabo tibi vinum conditum, et mustum malorum granatorum meorum.

Tum erit doctrina uberior et efficacior, quam unquam sub lege fuit. Dabo vinum quod bibes, id est, approbabis, et mustum malorum granatorum. Hoc forte addit, ut significet novum doctrinae genus ex variis prophetarum testimoniis.

Laeva ejus sub capite meo, et dextra ejus amplexabitur me.

Hactenus Canticum Salomonis audivimus, in quo cecinit de beneficiis praesentibus et paeteritis, ac petiit in futurum propagari regnum et doctrinam per orbem terrarum. Quae in hoc capite sunt, dixi esse tanquam epilogum, quo refert, quae per totum libellum tractavit.

Utitur autem hic quoque amatoria figura, sumpta a maritali complexu *), per quem significat, hoc regnum esse in tutela Dei ac divinitus regi et formari. Hoc cum ita sit, ut plane nihil dubitandum sit de favore Dei erga nos, ideo dicit,

---

*) Amplexus.

Adjuro vos, filiae Jerusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam.

Hoc est: Vos civitates, quaecunque estis sub hoc cultu Dei et regno, curate, ut sitis quietae et pacificae, ne excitetis motus et tumultus, sed laetamini potius in ista gratia et pace, ac obedite legibus, parête magistratibus. Jn religione quoque cavete, ne turbetur aliquid, àut per idololatriam, aut alias blasphemas opiniones. Haec enim duo conjuncta sunt. Pax non potest consistere sine religione seu justitia, secundum versum Psalmi *): Pax et justitia osculatae sunt se mutuo. Supra obtestationem addidit: Adjuro vos per capreas, ut saltem ob reverentiam sanctorum patrum et prophetarum, quos majores habuerunt, sint quieti et tranquilli. Quod addit,

Donec ipsa velit,

Puto eum de occasione loqui, quae necessitatem imponit: Vos cives nolite eam excitare, si excitatur ab hostibus vicinis, facite tum quoque officium vestrum, ut simul vigiletis, et conferatis operas et opem.

Quae est ista, quae ascendit de deserto innixa super dilectum suum?

Non solum vicinae gentes, sed etiam ipsi, qui sunt in populo hoc, mirantur sic ascendentem ex deserto. Est autem hoc praedicatum perpetuum

*) Pax et justitia conjunctae. Psal. 84.

operum Dei *), quod ceu ex deserto et arida terra proveniunt. Impii florent et prodeunt ceu ex paradiso jucundissima, ubi nihil videtur esse, quod deformitatis aliquid habere possit. Econtra ecclesia et populus Dei videtur ex deserto prodire. Nam ejus gloria tantum in verbo cernitur. Si ex paradiso ascenderet, miraretur eam mundus, sed desertum non miratur.

Et tamen, inquit, innititur deliciis, quas scilicet verbum affundit. Ubicunque enim est verbum Dei, ibi necesse est esse spiritum sanctum, fidem, et alia spiritus dona. Ideo recte dicit eam inniti, et praesumere de Deo, in cujus verbo sic pertinaciter haeret. Etiamsi quae sectae sint, tamen coram Deo obscurantur, et tantum videntur pii, alii in nullo sunt numero. Idem de peccatis et aliis infirmitatibus sentiendum est. Ego olim haec accommodabam ad animam, et ad speculativam vitam **), sed qui vult speculativam vitam vere definire, is sic definiat, quod sit credere et inniti verbo. Qui enim sine verbo speculantur, subvertuntur a satana, sicut non semel expertus sum. Quare somnia ista abjiciamus.

Sub pomo suscitavi te.

Quod interpres reddidit: ibi corrupta est mater tua, manifestus error est. Nam vocabulum poenae commutavit in vocabulum culpae. Verbum enim hic proprie significat laborem enitendi, seu dolores partus, quamquam alicubi accipiatur pro corrum-

---

*) Praedicatum perpetuum operum Dei. **) Speculativa vita.

pere et vulnerare. Mater*) est respublica, cives sunt filii. Hos, inquit, sub pomo excitavi, ibi te edidit seu enixa est mater tua. Nam regnum Judaeorum non ita amplum fuit, si spatium consideres; comparatur igitur non magnae arbori, ut sit seminarium futuri regni ecclesiae, quod per omnes terras vulgabitur.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.

Haec est exhortatio**) sponsi, ut sponsa maneat in verbo, nec patiatur se extra verbum aut ad cogitationes, aut ad cultum alium abduci. Age, inquit, sim tibi ego ceu signum seu annulus, quo me agnoscas, et ex corde complectaris. In me respice, in me fige oculos atque cor. At ubi es tu? In verbo, inquit, in Hierusalem et in templo meo. Hoc sigillum affigito cordi tuo etc. Quod non tantum super cor, sed etiam super brachium vult poni, significat fidem et caritatem simul, ut secundum verbum Dei et credamus et vivamus. Id cum fit, tum vere in ornatu divino incedimus, et sigillum hoc recte gestamus.

Quia fortis est ut mors dilectio, et dura sicut infernus aemulatio.

Parum apta videtur haec esse ratio, sed quia hic locus habet descriptionem vitae spiritualis, aptissime convenit haec sententia. Quia enim ad fidem et caritatem retinendam hortatur, significat magno

---

*) Mater. Filii. **) Exhortatio, ut ecclesia retineat puritatem doctrinae.

et infracto animo opus esse, propter varias tentationes, quae piis objiciuntur. Sed talis animus quomodo potest describi melius, quam si vocetur fortis dilectio? Hic enim affectus inter reliquos omnes regnat, sicut non solum honestus et maritalis amor, qui στοργή dicitur, ostendit, sed etiam furor ille juvenilis et stultus. Verum enim est, quod poeta dicit: Omnia vincit amor.

Inquit ergo sponsus: Si me vere diligis, retinebis sigillum meum, et quidquid tristitiae ac incommodorum tibi a mundo et satana objicietur, hoc vinces. Amor *) enim est fortis sicut mors, quae omnia domat, et est dura aemulatio seu zelus **) sicut infernus, qui non potest flecti precibus, ut reddat mortuos. Zelum possumus appellare ein zornige Liebe, ubi nimio amore, non odio personae irascimur. Ideo autem similitudinibus mortis et inferni utitur, ut ostendat pium populum futurum in mortis et inferni sensu, sicut Paulus dicit: Quotidie morimur. Rom. 8.

Lampades ejus ut lampades ignis atque flammarum.

Quod vertit: atque flammarum, in Hebraeo est: flamma Dei. Significat autem utroque inexhaustum et infinitum ardorem caritatis, qui non possit exstingui. Distinguit enim ignem Dei ***) ab alio igni materiali, quod ignis Dei sit aeternus et inexstinguibilis, qui non possit accendi aut exstingui humano arbitrio. Hunc ignem, inquit, quem Deus sic in te accendit, non mors, non infernus, non omnes

*) Amor. **) Zelus. ***) Ignis Dei.

mundi et satanae injuriae poterunt exstinguere. Cedit enim amor *) nemini, et amori cedunt omnia.

Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem.

Aquas **) multas vocat, sicut Christus Matth. 7, cum loquitur de domo posita supra petram. Nulla vis tempestatum, inquit, exstinguet amorem hunc, sed magis etiam accendet. Qui enim serio verbum complexi sunt, hi irritantur quasi tentationibus ***) et cruce, ut propius id complectantur. Omnium igitur tentationum hic finis est, ut, etsi conentur nos a Christo divellere, tamen magis nos cum Christo conjungant.

Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione etc.

Est insignis adhortatio, qua monet populum, ut magno studio et cura verbum retineat. Sicut igitur monuit hactenus perdurandum esse in calamitatibus, et non cedendum, ita hic in alteram partem jubet, nempe, ut neque opibus et potentia sinat se alio transferri. Futurum est, inquit, ut amatores alii tibi insidientur, ut sollicitent te non solum cruce et minis, sed etiam promissionibus et opibus. Sed memineris, quid amor faciat; despicit enim omnem substantiam, contemnendo contemnit omnia. Sic Augustinus ****): Amor est pondus omnium rerum, nec potest ullo pretio redimi.

Soror nostra parvula, et ubera non habet.

Supra monui, Salomonem in fine hujus Cantici

*) Amor. **) Aquae. ***) Tentationis fructus.
****) Amor. — Augustini dictum de amore.

respicere ad spirituale regnum Christi, quod exspectabatur futurum longe amplius et majus, quam corporale regnum populi Judaici fuit. Nec dubium est, quin sermonibus communibus haec saepe et multum agitata sint, sed in eo error erat: vulgus *) putabat Christi regnum corporale futurum esse. Non intelligebat, sic Christum regnaturum per verbum, ut tamen regna mundi suum tenerent cursum.

Salomon igitur sic dicit: Si spectemus amplitudinem ejus regni, quod per novum testamentum Christus **) instituet, tunc noster praesens populus recte comparabitur parvulae puellae, nondum habenti ubera, hoc est, nondum maturae satis ad praedicationem evangelii, per totum mundum spargendi. Sed etiam querelae significatio hic proposita est, ut haec sit ceu communis vox omnium prophetarum et sanctorum in populo legis, suspirantium ex carcere legis in latitudinem evangelii, ut Deus maturet promissiones de Christo factas etc.

Quid faciemus sorori nostrae? etc.

Insignis affectus animi ***) accensi exspectatione futuri Christi, sicut Christus in evangelio quoque dicit: Amen dico vobis, multi reges et prophetae voluerunt videre et audire, quae vos videtis et auditis, sed neque viderunt nec audierunt. Ita hic Salomon in persona omnium sanctorum: Quid faciemus? quasi dicat: Qualis et quam jucunda illa temporum facies erit? Quod addit,

---

*) Opinio Judaeorum de regno Christi. **) Regnum Christi. ***) Ingens desiderium regni Christi.

In die, quando alloquenda est,

Pulcherrima et non obscura significatio est, regnum Christi *) in verbo tantum esse positum. Non enim dicit in die, quo ornanda, in thalamum deducenda est, sed alloquenda, nempe per apostolos et ipsum Christum, suavissima praedicatione evangelii, qua docebitur de gratia Dei et remissione peccatorum, quasi dicat: Hodie non est dies alloquendi, sed tacendi. Sumus enim adhuc in carcere legis positi, et quasi scintillam procul videmus revelandi verbi, per quod regnum Christi in totum orbem propagabitur. Jam respondet, sed obscurissime:

Si murus est, aedificemus sub eum propugnacula argentea.

Haec satis videntur monstrosa esse, quod sororem comparat muro **), quem velit ornare argenteis turribus, et ostio, quod velit ornare cedrinis tabulis. Sed hic quoque dicam sententiam meam. Mihi videtur, quod comparet populum Dei, quem sororem vocat, tempore evangelii muro turrito. Per ministerium verbi enim munitur ecclesia ceu muro contra omnes falsas doctrinas, etiam contra portas inferorum. Quod autem meminit non unius, sed plurium turrium, seu propugnaculorum, quae in hunc murum collocare velit, recte refertur ad ministeriorum varietatem ***), quae in ecclesia requiritur, sicut Paulus ostendit Ephe. 4. Commendat

---

*) **Regnum Christi.** **) **Populus Dei comparatur muro turrito.** ***) **Varietas ministeriorum in ecclesia.**

igitur in novo populo ministerium verbi, et promittit se eum non deserturum, sed aedificaturum, ut constituantur ceu in speculis ministri, qui custodiant civitatem.

Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

Cedrus *) commendatur non solum ab odore, sed ab aeternitate quoque, non enim putrescit. Hinc illud Persianum: Cedro digna locutus. Ostium **) autem vocat doctores seu catechistas in ecclesia, per quos quotidie ingrediuntur et egrediuntur aliqui.

Murus ***) igitur pertinet ad defensionem, ostium autem ad doctrinam. Sicut Paulus ****) quoque hac figura utitur: Ostium mihi magnum apertum est, et significat haec ipsa figura incrementum ecclesiae. Dum enim quotidie praedicatur verbum, semper aliqui novi accedunt, quorum corda spiritu et amore Dei accenduntur.

Ego murus, et ubera mea sicut turris.

Haec sponsae vox est, jam maturae. Ecclesia †) enim post datum spiritum sanctum et verbum revelatum vere murus est contra satanae et haereticorum insidias. Et habet ubera, turris in modum firma, quibus docet, consolatur, erigit etc. Haec autem doctrina et consolationes hae certissimae et firmissimae sunt, in quibus animi acquiescunt, in aliis non acquiescunt, sicut experientia ostendit.

---

*) Cedrus. **) Ostium. ***) Murus. ****) 1. Cor. 16.
†) Ecclesia murus est.

Ex quo facta sum coram eo quasi pacem inveniens.

Ubi haec duo sunt, recte docere et defendere *) contra lupos, ibi necessario sequitur pax et tranquillitas. Contra, ubi alterum horum aut ambo desiderantur, ibi frustra exspectatur pax. Respicit autem oblique ad legem **), ibi enim sub duris imperiis exercebatur populus, sed evangelii doctrina veram pacem affert, ne corda dubitent de misericordia Dei. Ac sane summa calamitas est, Deum tacere et non loqui. Tanto nos hoc tempore decebat esse gratiores post tantam lucem revelatam.

Vinea fuit pacifico.

Interpres fallitur, utrumque enim judico proprium nomen esse, ut textus sic legatur: Salomon habet vineam ***) in Baal Hamon, ut alterum personae, alterum loci nomen sit, quamquam Baal Hamon nusquam alibi reperitur. Sic autem conjungo haec cum superioribus: Salomon in fine Cantici ad finem populi, hoc est, ad regnum Christi respicit, in quo verbum gratiae erat divulgandum per totum orbem terrarum, ejus regni, quia reliquiae Judaeorum initium fuere. Ideo totam ecclesiam appellat suam vineam, et dicit eam esse in Baal Hamon ****), hoc est, in maxima multitudine et loco copiosissimo. Baal enim herum significat, et Hamon multitudinem.

Ut consoletur populum suum, et spem faciat

---

*) Doctrina. Defensio. **) Lex. Evangelium. Deum timere. ***) Vinea. ****) Baal Hamon.

promissionum certe exhibendarum, quod quantumvis exiguum regnum, si ad alia gentium regna compares, sit seminarium futuri regni Christi *), quod est regnum multitudinis, quia non loco, non personis certis finitum est, sed est in omni loco, inter omnes, usque ad finem mundi. Haec sententia mihi magis placet, quamquam nihil impedit, quin accipias ceu epilogum **) totius libri, ubi suum regnum commendat et quamvis coram mundo exiguum esset, tamen dicit amplissimum esse respectu verbi Dei. Ad hunc modum quae sequuntur ad externam administrationem referri possunt, sicut historiae docent, Salomonem summa cura et studio administrasse regnum. Sed nos ob evangelii honorem volumus persequi spirituale regnum, cujus ceu seminaria fuere populus Salomonis.

Tradidit eam custodibus.

Haec vinea non jacebit sine cultu neglecta, sed habebit cultores suos, apostolos ***), et alios ministros verbi, per quos spiritus sanctus variis donis ornabit ecclesias.

Vir tradit pro fructu ejus mille argenteos.

Numerus finitus est pro infinito. Quia autem millenarius numerus est ultimus, significat custodes illos venire cum plenissima mercede et amplissimis fructibus. Sic Petrus, Paulus, Joannes etc. custodes positi hanc vineam cum maximo fructu coluerunt. Neque enim verbum Dei potest sine omni fructu doceri.

---

*) Regnum Christi. **) Epilogus libri. ***) Custodes vineae apostoli etc.

Vinea mea coram me est.

Sic vinea haec est mandata custodibus, ut tamen dominus *) ipse eam inspiciat. Sicut ille dicebat: Deus non condidit mundum, et abiit. Inspicit, imo adest, cum ministeria obeuntur, et est efficax. Sic in politia non bene faciunt officium, qui non ipsi inspiciunt negotia.

Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.

Ego retineo proprium: mille tibi, o Salomon. De politia facilis sententia est. Nam princeps est dominus omnium. Qui autem principi locant operas, singuli pro merito ferunt mercedem. Sed si ad regnum Christi et verum Salomonem respicimus, non obscurum est, quid Joannes dixerit **): De plenitudine ejus accepimus omnes. Etsi enim ducentos habent custodes, hoc est, etsi sancti sua dona habent, tamen Christus fons donorum omnium est.

Quae habitas in hortis.

Hortos ***) pluraliter vocat aut politice diversos principatus Salomonis, aut spiritualiter ecclesias. Est autem exhortatio, ut summa fide administrentur ecclesiae, esse enim, qui omnia inspiciant et observent.

Fac me audire vocem tuam.

Postquam admonuit esse, qui sponsam obser-

---

*) Deus adest vineae suae. **) Joan. 1. ***) Horti.

vent, etiam hoc monet, ne taceat, sed loquatur. Hoc enim reliquum est, ut verbum Dei assidue exerceatur, ne aut fastidio, aut contemptu, aut odio verbi opprimamur. Sicut Judaei fastidiebant Manna, et respiciebant ad ollas Aegypti.

Fuge, dilecte mi.

Hic sponsa quoque sponso valedicit, et rogat, ut finiat istam captivitatem legis, et liberam evangelii doctrinam in mundum tanquam in varios montes spargat, et sit similis capreae, non uno in loco subsistenti. Ad hunc modum ego*) hunc librum intelligo de politia Salomonis. Quod si erro, veniam meretur primus labor. Nam aliorum cogitationes longe plus absurditatis habent.

*) Epilogus hujus enarrationis.



ERLANGAE TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH. JUNGE ET FILII.





